

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cornelius, Centurio Romanus, a S. Petro, jussu Dei, per visionem lintei et quadrupedum, id significantis, in fide Christi instruitur et baptizatur; itaque Gentibus omnibus palam aperitur ostium ad Evangelium et Ecclesiam.

1. Vir autem quidam erat in Caesarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quae dicitur Italica, 2. religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper: 3. is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, angelum Dei introentem ad se et dicentem sibi: Corneli. 4. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. 5. Et nunc mitte viros in Joppen, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: 6. hic hospitatur apud Simonem quemdam Coriarium, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere. 7. Et cum discessisset angelus qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, et militem mententem Dominum, ex his qui illi parebant. 8. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen. 9. Postera autem die, iter illis facientibus, et appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. 10. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: 11. et vidit caelum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteam magnum, quatuor initibus submitti de coelo in terram, 12. in quo erant omnia quadrupedia, et serpentina terrae, et volatilia caeli. 13. Et facta est vox ad eum: Surge, Petre, occide et manduca. 14. Ait autem Petrus: Absit, Domine, quia nunquam manducaui omne commune et immundum. 15. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. 16. Hoc autem factum est per ter: et statim receptum est vas in caelum. 17. Et dum intra se haesitaret Petrus, quidnam esset visio, quam vidisset, ecce viri qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis, asiterunt ad januam. 18. Et cum vocassent, interrogabant si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium. 19. Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quaerunt te. 20. Surge itaque, descende et vade cum eis nihil dubitans; quia ego misi illos. 21. Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum quem quaeritis: quae causa est, propter quam venistis? 22. Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir justus et timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Judaeorum, responsum accepit ab angelo sancto, accersire te in domum suam, et audire verba abs te. 23. Introducens ergo eos, recepit hospitium. Sequenti autem die surgens, profectus est cum illis: et quidam ex fratribus ab Joppe comitati sunt eum. 24. Altera autem die introiit Caesaream. Cornelius vero expectabat illos, convocatis cognatis suis et necessariis amicis. 25. Et factum est cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, et prociens ad pedes ejus adoravit. 26. Petrus vero elevavit eum, dicens: Surge, et ego ipse homo sum. 27. Et loquens cum illo intravit, et invenit multos qui convenerant, 28. dixitque ad illos: Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judaeo conjungi aut accedere ad alienigenam; sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem. 29. Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accerastis me? 30. Et Cornelius ait: A nudius quarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, et ecce vir stetit ante me in veste candida, et ait: 31. Corneli, exaudita est

oralio tua, et eleemosyna tua commemorata sunt in conspectu Dei. 32. Mitte ergo in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus; hic hospitatur in domo Simonis Coriarii juxta mare. 33. Confestim ergo misi ad te, et tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quaecumque tibi praecepta sunt a Domino. 34. Aperiens autem Petrus os suum dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; 35. sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi. 36. Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum (hic est omnium Dominus). 37. Vos scitis quod factum est verbum per universam Judaeam: incipiens enim a Galilaea, post baptismum quod praedicavit Joannes, 38. Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit beneficiendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. 39. Et nos testes sumus omnium quae fecit in regione Judaeorum, et Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. 40. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, 41. non omni populo, sed testibus praedictis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis. 42. Et praecepit nobis praedicare populo, et testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum. 43. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. 44. Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum. 45. Et obstupuerunt ex circumcissione fideles qui venerant cum Petro; quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. 46. Audiebant enim illos loquentes linguis et magnificantes Deum. 47. Tunc respondit Petrus: Nuruquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos? 48. Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.

1. IN CAESAREA, — non Philippi, sed Palaestinae, quae sita erat in littore maris Mediterranei, eratque munitissima: hinc et *turris Stratonis* dicta est, erat enim quasi arx et antemurale Palaestinae: unde a Romanis firmo praesidio custodiebatur, in quo Centurio erat Cornelius. Caesarea conversa ad Christum, facta est Ecclesiarum Palaestinae metropolis, sub se continens Ecclesiam Hierosolymitanam, tum quia Caesarea, converso Cornelio, apertum fuit ostium Ecclesiae Gentibus; tum potius quia Caesarea primitus sub Romanis erat Palaestinae metropolis, et maxima civitatum Judae, teste Josepho, lib. III *De Bello*, cap. xv. Sed postea anno Christi 333, Vigilius Papa in Concilio Constantinopol. Hierosolymitanam Ecclesiam fecit Patriarchalem, eique subiecit Caesariensem. Ita Baronius anno jam dicto.

NOMINE CORNELIUS. — Videtur hic fuisse Italus (erat enim centurio cohortis Italicae) et Romanus. Romae enim illustres celebresque fuere Cornelii, et domus, imo gens, Corneliorum nobilissima: sicut in Belgio ampla est familia Cornelianorum, ex qua ego prognatus sum: unde omnes ex illa oriundi cognominantur Cornelii. Romae enim illustris fuit Cornelius Cossus, tribunus militum, qui Tolumnium Laetern, Veientium regem, occidit, secundoque optima spolia Jovi Feretrio retulit, teste Livio, lib. IV, *Decad. 1.* Et Cornelius

Centimalus, qui cum Annibal membris appropinquaret, trepidante urbe, ei occurrens, extra urbem castra posuit, teste Plutarcho. Et Cornelius Merula Consul, qui contra Boios in Galliam missus, duodecim millia hostium caecidit, teste Livio, *De Bello Maced.*, lib. V. Et Cornelius Merula, superioris nepos, flamen Dialis, qui ingressu urbem Mario, ne in ejus, utpote hostis potestatem veniret, in Jovis aede venis succisus sibi mortem conscivit, sacerdotisque sui sanguine foci vetustissimi madere, inquit Valerius Maximus, lib. IX, cap. xii. Similes fere plurimi, inter quos emicere Cornelii Scipiones, praesertim S. Cornelius Scipio, cognomento Africanus a devicta Africa, his consularis et censorius, ac triumphalis, ter Princeps Senatus; qui fratrem habuit consularem et triumphalem; nepotem vero filii adoptione bis consularem, bis triumphalem, et censorium, et augurum: cujus soror Cornelia, mater Graecorum, virago fuit magni animi, prudentiae et eloquentiae, quam laudat Quintilianus, lib. I, cap. 1, et Cicero in *Bruto*. Fuit ergo Romae Cornelianorum familia non una, sed plurima, adeo ut gentem integram confondere posset. Ejus enim familiae, et quasi partes erant Scipionum, Lentulorum, Cinnarum, Balborum, Merularum, Rutilulorum, Cethegorum, Mamercorum, Dolabellarum, Mamularum,

Severorum, et aliae plures, quas fusc recenset Antonius Augustinus, lib. *De Familiis Romanorum*. Ex his ergo orandus videtur hic Cornelius Centurio. A primo enim illustri Cornelio, filii, nepotes et posterii omnes dicti sunt Cornelli.

Porro nonnullis eruditissimis ita dicti videntur a cornu, quasi corni, robusti et constantes. Unde S. Cornelius, Romanus Pontifex et Martyr, S. Cypriano per litteras familiaris, pingitur cum cornu in manu, quia Decio et Volusiano Imperatoribus constantissime restitit, uti narrat S. Cyprianus; cornu enim est robur animalium: unde cornu symbolum est fortitudinis, victoriae, regni, gloriae et triumphi, juxta illud de Joseph: «Cornua rhinocerotis cornua illius», *Deut.* xxxiii, 17. Et *Psal.* xliii, 6: «In te inimicos nostros ventilabimus cornu.» Et *Psal.* xci, 41: «Exallabitur sicut unicornis cornu meum.» Et *Psal.* cxxxii, 47: «Illic producam cornu David.» Et *Psal.* cxi, 9: «Cornu ejus exallabitur in gloria.» Et *Zachar.* i, 21: «Haec sunt cornua quae ventilaverunt Judam.» Hinc *Psal.* xcvi: «Psallite Domino, ait, in tubis ductilibus, et voce tubae cornese,» hoc est mystice, in robore virtutis.

«Dnas, ait ibidem S. Hieronymus, habetote tubas, et argenteam, et corneam. Argenteam, ut habeatis sermonem; corneam, ut habeatis virtutem. Legimus in Levitico: Nullum animal offeratur, nisi quodcumque cornutum est, etc. Et nos ergo quamdiu habemus cornu, mereamur vicima esse Dei. Si autem cornu nostrum fuerit excussum, quasi debiles sumus, et inter sacerdotes Dei venire non possumus.» Et S. Augustinus, ibidem: «Cornu, ait, excedit carnem, necesse est ut carnem superando sit firmum ad perdurandum, et capax vocis. Qui vult esse tuba cornea, superet carnem, transcendat carnales affectus.» Et Inferius: «Tuba cornea te erigat adversus diabolum, non tuba cornea adversus fratrem tuum.» Quocirca S. Cornelius quasi roboris antistes et Martyrum primipilus, ad robur aequae ac ad decus martyrii impetrandum, a fidelibus invocari solet. Ita, ut alios doceam, eum sibi cognominem martyrii causa invocare solebat Cornelius Musius, apud Belgas Poeta laureatus, qui proinde hunc et hymnum saepe concebat:

Beate Christi Paulique, Christianique Martyr inclyte,
Hinc gratiam Cornelio tuo benignam impetra,
Ut, exprimo quae nominis, te charitate, te fide,
Et asserendo audacia te veritatis exprimat.

Ac ab eo voti compos effectus est: nam Lugduni Batavorum sub annum Domini 4572, a Calvinisticis naso, auribus, manuum pedumque digitis truncatus, trahi in foro affixus, et laqueo strangulatus, anno etatis 72, gloriosum obit martyrum, uti refert Aubertus Miraus in *Elogiis Belgae*.

Vel certe Cornelius dicitur a corde, quasi cordatus, g. d. Corneli, cor ne lingue solo: cor sit in

aethere, non in aere; in sole et oculo, non in solo et sale. Talem enim decuit esse hunc Cornelium, primipilum Ecclesiae Gentilis, qui Gentibus omnibus quasi dux et antesignanus viam ad Ecclesiam, imo iter in caelum panderet; nimirum nobilem Romanum, militum ducem, qui nobilibus Romanis, militibus et principibus fidei et virtutis exemplum daret: unde eum paulo post secuta sunt tot agmina Romanorum, praesertim militum et nobilium, non tantum ad fidem, sed et ad martyrium. Fuit ergo ipse gloria gentilitatis, et Gentium primitia, ait Origenes, hom. 11 in *Num.*; et S. Hieronymus, ad *Salvianum*: «Primus, ait, Cornelius salutem Gentium dedicavit.»

CENTURIO. — Qui centuriae militum praerat, quae primo constabat centum militibus: sed variis de causis subinde adactus est hic numerus. Cajetanus opinatur Cornelium hunc fuisse Centurionem primae cohortis ex decem, quibus constabat legio, qui proinde primipilus dicebatur, cui praeferebatur vexillum aquile, quod erat Romanorum insigne, ac 400 milites in prima acie gubernabat, quasi primi ordinis ductor, teste Vegetio, lib. II, cap. vi. Unde et equestrius ornamentis consueque decorabatur, uti docet Lipsius, lib. II *De Militia Romana*.

COHORTIS. — Graece ἐστίαρις, id est ex cohorte: cohors enim plures habebat centurias et centuriones, et quibus unus fuit Cornelius. Cohors enim primitus erat decima pars legionis, constans quinquaginta manipulis, manipulus autem 25 militibus: quare cohors constabat 1,250 militibus; legio 42 milibus et quingentis, ut patet ex Casare, lib. VI *De Bello civili*; Velleio, lib. II, et aliis. Jam cohors vulgo a Gallis vocatur regimentum, et qui ei praest dicitur Tribunus, sive Chiliarcha. Verum postea uti legionis, ita et cohortis numerus imminutus est, idque vario pro varietate temporum et locorum. Legio tandem redacta est ad sex millia et sexcentos.

ITALICE. — ab Italici militibus quibus constabat. Opinatur Baronius hanc cohortem ordine fuisse sextam, et cognominatam Ferratam: hanc enim ab Augusto collocatam fuisse in Judaea scribit Dio.

2. RELIGIOSUS AC TIMENS DEUM. — Vatablus, *pius et religiosus erga Deum*. Est hic problema. An Cornelius antequam accerseret Petrum, fuerit iustificatus, neque? Negat S. Chrysostomus, (Eucumenius et Stapletonius hic, et S. Basilius, in *Regul. brevior.* Reg. cccxv. Favet S. Augustinus, lib. *De Praedest. Sanc.*, cap. vii. Huic sententiae favent ea quae dicuntur vers. 3, 43, 44, et cap. seq., vers. 14.

Longe verius affirmant S. Gregorius, hom. 9 et 10 in *Ezech.*; Beda, Dionysius et Lorinus hic; Magister, in III, dist. xxv, ibique Albertus, Bonaventura, et S. Thomas ibidem, ac III part., *Quaest.* LXIX, art. 4, ad 2; Ruardus Tapperus, art. 7; Al-

fonsus a Castro, verbo *Baptismus, haeresi* 10; Gregorius de Valentia, II, disp. 1, *Quaest.* II, puncto 4. Favet S. Hieronymus, in cap. v epistolae ad Galat. Probatur primo, quia Cornelius hic vocatur «religiosus ac timens Deum»; ergo non tantum erat justus, sed et plus ac religiosus. Secundo, quia vers. 4, dicuntur opera et elemosynae ejus ascendisse in memoriam in conspectu Dei. Tertio, quia id disertè videtur asserere S. Petrus, vers. 34, dicens: «In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.» loquitur autem de Cornelio. Ergo Cornelius acceptus et gratus erat Deo: ergo erat justus: nullus enim est gratus Deo, nisi justus. Primus enim effectus gratiae iustificantis est, facere hominem gratum et acceptum Deo. Deinde, qui operatur justitiam est justus: Cornelius autem, teste S. Petro, operabatur justitiam; ergo erat justus. Quarto, quia vers. 22, de eo dicitur: «Cornelius vir justus et timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Judaeorum, responsum accepit ab angelo sancto, accersire te.» Denique vers. 2, de eo dicitur: «Faciens elemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper.» Haec autem duo consistere nequeunt cum peccato, sed presupponunt gratiam sanctificantem. Quare Cornelius, ante adventum S. Petri, a Judeis quibusdam Caesarea versabatur, didicit hausitque fidem explicitam unius Dei, et implicitam Christi mediatoris, coluitque verum Deum, sicut et Iob ejusque amici: non enim soli Iudei ante Christum, sed et nonnulli Gentiles coluerunt verum Deum, qui servantes legem naturae et charitatis, iustificati sunt, indeque elemosynas aliaque pia opera praestiterunt. Haec autem facere non potuerunt per vires solius naturae, uti censebant Pelagiani, sed ad hoc egebant gratia Dei excitante et cooperante, uti recte docet S. Prosper, lib. *De Libertate arbitrii*.

Dices: Si erat justus, quid opus erat ad eum mittere S. Petrum? Respondeo: Opus erat ad hoc, ut per eum disceret explicitam fidem Christi omniumque ejus mysteriorum: nam implicita fides non suffiebat. Jam enim facta erat promulgatio novae legis et fidei explicitae de Christo mediatore in Pentecoste Hierosolymis; illaque sensim serpebat ad alias vicinas urbes, ita ut de illa inaudierit Cornelius, ut patet vers. 22. Quare ejus obligatio incipiebat ubique induci, et consequenter obligare Cornelium, qui haec laborat ejus ignorantia invincibili: sed illa jam incipiebat fieri vincibilis, ideoque culpabilis; qui si illum depellere et obligationi jam dictae satisfacere neglexisset, peccasset et amisisset justitiam. Unde ut eam non amittat, sed retineat et augeat, jubetur ab angelo accersere Petrum, qui explicitè eum doceat illa quae de Christo scire et credere necessarium erat, non tantum ad acquirendam vel augendam, sed ad

retinendam justitiam: necessarium, inquam, non tantum necessitate praecipit, ut vult Antonius Vega, lib. VI *In Conc. Trident.*, cap. xx, et Dominicus Soto, lib. II *De Natura et Gratia*, cap. xi et xii, sed etiam necessitate medi. Nam post sufficientem Evangelii promulgationem, nemo potest justificari et salvari, nisi per explicitam fidem Christi mediatoris, ut habet verior et communior Theologorum sententia. Perperam enim Melchior Canus, et ex eo Dominicus Banez, II, *Quaest.* II, art. 8, separant salutem a justitia, dicuntque Cornelium et similes sine fide explicita Christi potuisse justificari, sed non salvari. Salus enim individue adheret justitiae: justitia enim et gratia est semen gloriae, ut quicumque moritur in gratia, certus sit de salute et gloria aeterna. Hoc est quod ait S. Gregorius loco citato, Cornelium «per bona opera meruisse fidem,» scilicet explicitam de Christo: et simul «per fidem,» scilicet implicitam, «venisse ad bona opera.» Rursum per fidem venisse ad bona opera, sed per opera esse solidatum in fide. Porro baptizavit Cornelium Petrus, ut eum Christianismo initiaret, gratiamque acceptam augeter et confirmaret: jam enim baptismus incipiebat eum omnesque alios obligare. Non ergo baptizatus est, ut remissionem peccatorum acciperet, quam ante jam acceptat, nisi forte venialium, si quae irremissa habebat, uti et penarum peccatis mortalibus praecedentibus debitarum, si quae adhuc remittenda restabant. Adde, culpam peccatorum mortalium ei remissam fuisse per contritionem, quae includebat votum implicitum baptismi: unde debebat baptizari, ut hoc voto se exsolveret, illius enim intuitu remissa ei erant peccata.

Dices secundo: Ad verba S. Petri, vers. 44, descendit in eum Spiritus Sanctus: ergo ante non descenderat. Respondeo: Tunc visibiliter descendit, qui prius in eum invisibiliter descenderat, contulitque ei augmentum gratiae, et insuper gratias gratis datas, ut donum linguarum, etc., de quo vers. 44. Minus recte ergo aliqui eum tunc primo iustificatum censent. Argumenta adversariorum petita ex versibus citatis, in illorum explicatione dissolvuntur.

DEPRECANS DEUM SEMPER. — quantum scilicet per negotia domestica et militaria licebat; «semper» ergo, id est frequenter, assidue. Nota hic quatuor virtutes Cornelli, cuius Christiano, praesertim Superiori, imitandas, si suae vocationi atque officio satisfacere velit. *Prima* est religio: fuit enim ipse vir religiosus erga Deum. *Secunda* est timor Dei. *Tertia* est misericordia et elemosyna: qui enim in proximum misericors est, vicissim Deum in se misericordem experietur, juxta illud promissum Christi: «Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur,» *Matth.* v. Unde Nazianzenus, orat. *De Cura pauperum*: «Esto, inquit, calamitosus Deus, ut vicissim Deus in tua calamitate sit tibi Deus,»

Car ergo
missus
est ad
eum S.
Petrus.
Resp.

Vers. 2.
An Gre-
goliu
jam fou-
at jus-
tiae?

Ita Cornelius per eleemosynas meruit visitari ab angelo et a S. Petro, ab eoque percipere fidem Christi, ut ait ei angelus, vers. 4. *Quarta* est oratio frequens: hæc enim est quasi fistula, e celo eliciens omnem gratiarum imbrem.

Tropologicæ, S. Hieronymus, epist. 9 ad *Salvinam*, hæc omnia applicat Nabrudio, ejus marito jam defuncto, qui fuerat Imperatorum nepos, natus ex sorore Augustæ: « Quidquid, inquit, de illo (Cornelio) dicitur, hoc nomine commutato, in Nabrudio meo vindico. Sic religiosus fuit, et amator pudicitie, ut virgo sortiretur uxorem; sic timens Deum cum omni domo sua, ut oblitus dignitatis omne consortium cum monachis haberet et Clericis, tantasque eleemosynas faceret in populis, ut fores ejus pauperum ac debilium obsiderent examina: certe sic semper orans Deum, ut illi, quod optimum esset, eveniret. Raptus est, ne malitia mutaret mentem ejus, quia placita erat anima illius Deo. » Et mox: « Nihil nocuit militanti paludamentum, et balteus, et apparatus catervæ: quia sub habitu alterius alteri militabat. Legimus et in Evangelio, *Matth. VIII*, de alio Centurione Domini testimonium: Nec in Israel tantam fidem inveni. Joseph post Pharaonem regis ornatus insignibus, sic Deo charus fuit, ut super omnes Patriarchas durorum tribuum pater ferret. Daniel et tres pueri sic præerant Babylonie opibus, ut habitu Nabuchodonosor, Deo mente servirent. Mardocheus et Esther inter purpuram, sericum et gemmas, superbiam humilitate vicerunt: tantique fuerunt meriti, ut captivi victoribus imperarent. » Et inferius: « Mirum dictu est: nutritus in palatio, contubernalis et condiscipulus Augustorum, quorum mense ministrat orbis, et terra ac maria serviunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore tanta verecundia fuit, ut virgineam pudorem vinceret, et ne levem quidem obsceni rumoris de se fabulam daret. Deinde purpuratorum propinquus, socius, consobrinus, isdem cum ambobus studiis eruditus, non est inflatus superbia; sed cunctis amabilis, ipsos principes amabat ut fratres, venerabatur ut dominos. Ministros autem eorum sic sibi charitate sociabat, ut qui merito inferiores erant, officii se pares arbitrentur. » Nolent hæc Principes, ulici, duces, milites, notent et imitentur.

3. *IS VIDIT IN VISU MANIFESTE.* — Fuit ergo hæc visio corporalis et ocularis; hæc enim sola est manifesta. Adde, factam esse non noctu, sed per diem hora nona in vigilia, cum oraret Cornelius: ergo fuit corporalis: nam quando per visionem duntaxat imaginariam quid videtur, solet id fieri noctu. Angelus ergo in corpore assumpto apparuit Cornelio. Causæ fuerunt quatuor. *Prima*, ne Cornelius, aut ejus domestici putarent fuisse illusionem nocturnam. *Secunda*, ne Judæi putantes ad se solos pertinere Messiam, fidem et Evangelium, obijcerent S. Petro, surreptitiam fuisse

visionem et vocationem Cornelii ad fidem, uti hæc de re expostularunt cum eo, cap. XI, 3. *Tertio*, ut Gentiles et Cornelio scirent certo et manifeste, sibi apertum esse ostium Evangelii. *Quarto*, quia Gentibus manifeste revelandum erat Christum Christique leges; Judæi vero exsecrandi erant et ad suas fidei umbras relegandi.

QUASI HORA DIEI NONA, — quæ incipit a tertia pomeridiana, et protenditur usque ad vesperam. Unde hora nona erat hora orationis vespertina; sicut prima erat matutina, ut dixi cap. III, vers. 1. Videtur ergo Cornelius more Judæorum, infer quos agebat, utrumque orandi tempus observasse; cumque vespertinam horæ nonæ orationem obiret, apparuit ei angelus. Orantibus enim se interserunt, astant et apparent angeli, quorum opus et delicia est oratio. Ita Cassianus, lib. III *De Inst. Remm.*, cap. III. Et S. Chrysostomus, qui et causam dat cur potius vespertina hora apparuerit angelus, quam matutina: « Quia postrema hora hæc erat, inquit, quando curæ dimittuntur, et vacatur precibus atque compunctioni. » Cor enim curarum expers et compunctione sanctum, capax est illustrationum rerumque celestium, optimeque ad eas dispositum.

Mysticam causam dat Beda: « Quoniam, inquit, in morte illius (Christi) baptizandus erat, qui spiritum tradidit hora nona. » Hinc Alcuinus, lib. *De Divinis offic.*, cap. *De Sabbato sancto*, docet catechumenos baptizari hora nona, quia ea hora ad fructum e Gentibus catechumenum, puta ad Cornelium, venit Angelus jubens vocari Petrum, qui eum baptizaret.

Tropologicæ S. Chrysostomus: « Cornelius, inquit, vite religiose sibi tempora constituit: non enim est vir pius qui sibi stata orandi et bonis operibus vacandi tempora non præfigit. » Et S. Hieronymus, epist. ad *Salvinam viduam*, hoc ei dat monitum: « Semper in manibus tuis sit divina lectio, et tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittas, quibus adolescentia pereuti solet, hujusmodi clypeo repellant. » Inter Apophtegmata S. Thomæ Aquinatis primarium hoc recensetur: « Religiosus non est, qui non semper versatur cum Deo, aut cogitat de Deo. » Quocirca ipse ita assidue erat in oratione, ut omnem suam scientiam illi potius, quam studio, cui tamen sedulo vacabat, attribueret, diceretque scientiam suam magis esse cœlitus infusam, quam humanitus acquisitam. Rursum: « Anima, inquit, S. Thomas, sine oratione non proficit. Religiosus sine oratione est velut miles nudus, qui pugnat sine armis, » ideoque inermis facile ab hoste vincitur.

ANGELUM DEI. — Lyranus et Dionysius probabiliter opinantur angelum hunc fuisse Custodem Cornelii. Angeli enim Custodis officium est curare sui clientis catechesin, baptismum et salutem. Quare falsum est quod censuit Origenes, hom. 6 in *Matth.*, angelum Custodem incipere custodire

Angelus corporaliter visus Cornelio quatuor decaus.

clientem suum a tempore baptismi. Nam et infideles non baptizati habent Custodem angelum, qui eos a peccatis avocet et ad virtutes, præsertim fidem et baptismum, deducat, ut habet communis Theologorum sententia.

4. *TEMORE CORREPTUS.* — Angeli enim majestatis et gloria videntem percillit, uti dixi cap. VII, 32.

QUID EST, DOMINE? — Ita Romanus, Græcus et Syrus, *q. d.* Quid a me poscis, Domine? quid me vis facere? Aliqui codices Latini legunt: « Quis es, Domine? » uti dicebat Saulus, cap. IX, 5. Sed priorem lectionem esse genuinam, patet ex responsione angeli. Alit enim: « Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam, » Græce, *ὡς προσέκομισαν*, ut scilicet quasi memoriale a te submissum ad Deum, serventur, et semper obversetur conspectui Dei. Vatablus, « recordatus est Dominus orationum et eleemosynarum tuarum, » ideoque eas digno præmio remunerari volens, mittit me ad te, ut ostendam tibi viam ad fidem et salutem. Tertullianus, lib. *De Jejunio*, cap. VIII, addit, « et jejunia: » eleemosyna enim et jejunium sunt quasi due alæ quibus oratio erhevit et evolat in cœlum ad Deum. Credibile enim est Cornelium misuisse orationi et eleemosynis jejunium. A Judæis enim didicerat illud angeli consilium datum Tobie, cap. XII, 8: « Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, magis quam thesaurus auri recondere: quoniam eleemosyna amore liberat, et ipsa est quæ purgat peccata et facit invenire misericordiam et vitam æternam. »

Nota: *Te ascenderunt* alludit ad ritum sacrificiorum, præsertim holocausti, quod totum perignem et fumum ascendebat ad Deum, indeque dictum est *קָרוּבָה*, id est *ascensio*. Orationes enim sunt instar holocausti: inde enim vocantur vituli laborum, sacrificium laudis, etc.

5. *ET NUNC MITTE.* — Non dicit: « Vade tu ad Petrum; » quia volebat cum eo totam ejus familiam catechizari et baptizari: hæc autem tota domo abire non poterat. Ita Hugo. Rursum angelus per se hæc non præstat, quia homines a Deo ordinati sunt ministri verbi Dei et baptismi, non angeli. Sic Saulus ab Anania baptizatus est, Eunuclus Candææ a Philippo. Porro voluit Deus accersiri Petrum, non Joannem, vel quem alium, quia decebat ut Petrus quasi caput Ecclesiæ, sicut primus omnium post Christum prædicaverat Judæis, Act. II et III, ita primus predicaret et Gentibus, puta Cornelio ejusque familia. Ipse enim quasi totius Ecclesiæ Pastor, debebat in eam, quasi in unum ovile Christi, congregare tam Gentem quam Judæos, ut utrique eum quasi communem patrem agnoscerent, colerent, obediunt et sequerentur, in eoque utrique, licet inter se diversi, imo adversi, unirentur.

8. *MISIT ILLOS IN JOPPEN.* — perquirere et accersere Petrum non imperando, sed rogando ut dignaretur venire ad domum Cornelii.

9. *ASCENDIT PETRUS IN SUPERIORA.* — *εἰς ὀψανα*, id

est in tectum domus: tecta enim in Palestina sunt plana, ut in iis ambulare, sedere, orare possint, quæ Græce domata, Romæ solaria vel meniana appellantur, ait S. Hieronymus, epist. 135 ad *Suniam*. Ascendit ergo et secessit, ut liberius cœlum intueretur, eoque a terra oculos et mentem oraturus attolleret. Oratio enim est ascensus mentis ad Deum, quem juvat ascensus corporis. Hinc Christus, Moses, Elias, Eliseus. S. Francisus aliique Sancti oraturi ascendebant in montes, ut sicut loco, sic et cogitatione cœlo vicini efficerentur, ait S. Ambrosius, *serm.* 11.

CIRCA HORAM SEXTAM. — Nota hic horam sextam orationis: quia ea uti homo creatus est et peccavit, ita et recreatus est a Christo cruci affixo; et quia ea hora solet sumi prandium, cui exemplo Petri et Ecclesiæ præmittenda est oratio. Vide dicta I *Timoth.* IV, 3 et 4.

10. *ET CUM ESURIRET.* — cibum corporalem e hujus enim fames solet obvenire adventante tempore prandii. Quare quod S. Ambrosius, *serm.* 10, Beda et alii accipiunt de esurie spiritali animarum, eo quod videret paucos Judæos converti ad Christum, mysticum est, non litterale, ut patet ex sequentibus.

VOLUIT GUSTARE. — *Vox gustare* notat sobrietatem S. Petri, quasi cibo non se opplere, sed eum duntaxat pro necessitate degustare, et summis, ut dicitur, labris delibare voluerit (1). Rursum, quod in hac vita sit tantum gustus et delibatio voluptatis, in futura vero saties, juxta illud *Psal. XVI, 15*: « Satiabor cum apparuerit gloria tua. » Quocirca vir sapiens dixit cor nostrum esse pyramidalem, ita situm in homine, ut ejus basis sursum, conus deorsum vergat, ad significandum, quod terram et terrena quæ deorsum sunt, tantum obiter et levissime, quasi in puncto duntaxat tangere et gustare, totum vero cordis mentisque sinum et capacitem sursum ad cœlestia erigere et expandere debeamus. Unde mystice S. Hieronymus, epist. 4 ad *Rusticum*: « Petrus, ait, esuriens in Judæis, Cornelii saturatur fide, et famem incredulitatis eorum, gentium conversione restinguit; atque in vase Evangeliorum quadrangulo, quod de cœlo descendit ad terram, docetur et discit omnes homines posse salvari; rursumque quod viderat, in specie candidissimi linteaminis in superna transferitur, et credentium turbam ad cœlum rapit, ut pollicitatio Domini compleatur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. »

CECIDIT SUPER EUM MENTIS EXCESSUS. — *q. d.* Raptus est in extasim. *Vox cecidit* significat hæc extasim non fuisse naturalem, qualis est ea quæ ex vehementi ira, pavore, amore, studio et contemplatione nascitur, sed divinam, nimirum cœlitus S. Petro immissam fuisse hæc visionem et

(1) *Gustare*, id est cibum capere, comedere; hæc hujus verbi notio satis frequens est Græcis.

Sancti orantur in locis caelestibus, cur?

zophum. Vide quæ de exstasi dixi præfatione in Minoribus Prophetis, can. 19.

11. ET VIDIT COELUM APERTUM. — « Vidit, » scilicet in mentis excessu, de quo præcessit. Unde sequitur hæc visionem non fuisse oculorum, sed imaginationis et mentis.

Symbolice, significatur hic primo, arcantum mysterium de cælis et Dei predestinatione recoditum, de Gentium vocatione ad Christum, jura toti mundo reserandum et patefaciendum esse, ait Beda. Secundo, Petro quasi cæli clavigero, datus esse claves ad aperiendum et claudendum cælos, *Math.* xvi, 19.

ET DESCENDENS VAS QUODDAM. — « Vas, » id est receptaculum, non æneum, nec ferreum, nec ligneum, sed lineum. Unde sequitur « velut linteum magnum. » Erat ergo hoc linteum sive linteamen, velut uter lineus, continens omnis generis escas, inferne concavus et clausus, superne apertus, qui quatuor sui angulis a cælo demittebatur ad Petrum, eique esurienti omnes hæc escas ad manducandum offerebat.

Quæres, quid ad litteram significat hoc vas, sive linteum? Respondet primo, Glossa Interlinearis, significare corpus Christi, quod est ut linteum, quoniam sine semine conceptum, candorem castitatis custodit; et quia mortuum: magnum vero propter ditatis consortium, et quia resurrexit. Ita et Cassianus, lib. III *De Instit. Remm.*, cap. III.

Secundo, melius alii accipiunt Dei sermonem et prædicationem Evangelii, in qua molliter quiescunt peccatorum animæ in cælestis gratiæ illapsu, et superne gloriæ spe. Ita S. Ephrem, serm. *De S. Basil.*, tom. V, et S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.*, cap. xvi, vel xx.

Tertio et aptissime, S. Augustinus, serm. 26 *De Diversis*; S. Ambrosius, serm. 10; S. Cyrillus, vel potius Origenes, hom. 7 in *Levit.*; S. Hieronymus, in epist. 89 ad S. Aug.; Gregorius, loco jam citato, Beda et alii accipiunt Ecclesiam Christi. Hæc enim est quasi vas lineum, id est purum, propter incorruptibilem veritatem et fidem; quia purissima et sanctissima est tum in fide, tum in vita et moribus, non habens maculam, neque rugam, *Ephes.* v, 27. Hæc de cælo demittitur, quia ipsa est civitas sancta, Jerusalem nova descendens de cælo a Deo, *Apocal.* xxi, 2. Quatuor anguli sunt quatuor Evangelia, quibus per quatuor plagas mundi et quatuor partes terræ disseminatur Ecclesia. Hæc vas for a cælo demittitur, quia fide et sacramento SS. Trinitatis fideles innovantur et in Ecclesiam admittuntur. In eo sunt immunda et fera bestia, id est quævis gentes, quæ prius erant turpibus et feris moribus, atque a legali Judæorum munditie aliene. Audi S. Gregorium: « Quid, ait, signatur linteum sindonis, nisi subtilis intexta sanctæ prædicationis, in qua molliter quiescit, quia mens in illa fidelium superna spe refovetur. »

Tropologie: per vas hoc multi accipiunt statum Religionis, qui constat lino, id est maceratione carnis et mortificatione appetituum. Linteum enim varie maceratur et carminatur, ut fiat linteum: quatuor initia sunt quatuor regule quatuor priscorum Ordinum, puta regula S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti et S. Francisci: in eo sunt animalia immunda, id est peccatores qui ut peccata in sæculo adraissa expient, penitentia causa se mancipant Religioni. Ita Glossa. Porro quomodo linteum et linteum sit symbolum puritatis, penitentia, patientia, fortitudinis, religionis, etc., dixi *Exodi* xxviii, 39, et *Jeremias* xiii, 1. Simile est hoc vas lineum vasi inlemerato, de quo noster Causinus, *Parabol. Hist.*, lib. XII, cap. lxxi, ex Pausania. Tradit enim Pausanias in Arcadia esse Stygem fluvium, cujus aqua adeo acris et potens est, ut omnia vasa sive area, sive ferrea, sive lapidea disrumpat, excepto vase quod fit ex ungulo equi, quod proinde vas inlemeratum dicitur; estque hieroglyphicum B. Virginis, quæ nullo peccato, vel originali, vel actuali (cujus symbolum est Styx) inficit aut ladi potuit. Simili modo Religio est vas inlemeratum, quia omnia peccata et peccatorum occasiones amovet et excludit, quantum fragilitas humana patitur.

Symbolice Œcumenius: Vas, inquit, linteum denotat totum orbem, qui ad Christum vocatur; quatuor initia sunt quatuor elementa, quibus hic inferior mundus constat et propagatur; animalia varia sunt varii hominum status. Consequenter vas linteum est homo, qui est microcosmus constans quatuor elementis; quare cogit se, ut ex eis conflatus est, ita brevi in ea resolvendum et per mortem rediturum. Quocirca Antisties in Æthiopia, cum cruce sibi præferri curant vas cinerum, quod eos jugiter memores reddat suæ mortalitatis, taciteque eis inelamot: « Memento, homo, quia cinis es, et in cinerem reverteris. » Ita Nicolaus Causinus, lib. V *Parabol. Hist.*, cap. iv, ex Sabellico, lib. IV, cap. iv.

QUATUOR INITIIS. — Syrus et Vatablus, quatuor angulis; Tigrina, quatuor extremitatibus. Græce additur διδύμων, id est alligatum: cum enim linteamen hoc esset quadratum, nec esset expansum instar straguli, sed instar vasis, vel utris contractum ad capiendâ animalia, necessario debebat in quatuor sui extremitatibus constringi et colligari, ne animalia diffugerent vel dilaberentur. Hi quatuor anguli significant quatuor Evangelia spargenda per quatuor orbis plagas, uti jam dixi.

12. IN QUO ERANT OMNIA QUADRUPEDIA. — id est omne genus quadrupedum. Ita Syrus; est enim hic distributio pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum: nec enim omnia individua omnium animalium capi poterant unico vase et linteo. Græce additur ἕρπια, id est fera. S. Hieronymus, in cap. xxxviii *Eszech.*, et Origenes, homil. 2 in cap. II *Gen.*, censent in hoc

Tropologie
id est
et
id est

Symbolum
id est
munda
et bona.

linto fuisse animalia tam munda, quam immunda, sicut fuerunt in arca Noe: munda significant Judæos, immunda Gentes; ex utrisque enim una conflatur Ecclesia. Probabilius censet Iustinus, *Quest. LXXXIX ad Orthodox.*, in hoc linteo fuisse sola animalia immunda: nam si munda fuissent, Petrus non exhorruisset, sed ea accepisset, relicta immundis. Jam autem videns omnia immunda exhorrescens dixit: « Nunquam manducavi omne commune et immundum. » Significabant enim Gentes immundas. Unde volatilia denotant superbos et ambitiosos, serpentina invidos et iracundos, quadrupedia avaros, gulosos et lubricos: hi enim oculos mentemque in terram et terræa projectam gerunt. Ita Lyranus. Sic fere et S. Basilus, in cap. xiv *Isaia*, nisi quod per volatilia intellegit leves et instabiles. Erant tamen in hoc vase munda nonnulla, sed perpanca et sub immundis abscondita: nam munda significant Judæos cum immundis, id est Gentibus, capiendos esse Ecclesiam Christi.

13. ET FACTA EST VOX. — non realis et sonora, sed imaginaria vel mentalis, talis enim solet fieri in exstasi.

OCCEDE. — ὀσσεῖν verti potest primo, occide; secundo, sacrificia vel immola. Ita Beda, olim enim manducabant, etiam laici, ex victimâ occisa et immolata Deo. Unde apposite S. Ambrosius, *serm.* 10: « In Ecclesia, ait, primum Deo animal ex Gentibus Centurio Cornelius est immolatus. » Hæc occisio et immolatio significabat in Gentibus occidentam esse infidelitatem et vitia, ut in eis viveret Christus, fides et virtus. Unde S. Hieronymus, vel quisquis est Auctor, in *Thronor.* cap. III, censet Petro quasi capiti Ecclesie dictum esse de Gentibus: « Macta et manduca, id est velutestatem earum contere, et in corpus Ecclesie ac tua membra converte. » Comparat Petrum leoni, qui quasi rex animalium ea mactat et comedit, ac leone, id est Ecclesie ea transcribit. Unde S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.*, cap. xx vel xxx: « Ipsi, ait, primo Pastori (Petro) quasi hujus leone ori dicitur: Macta et manduca. Quod mactatur quippe, a vita occiditur: id vero quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo et manduca dicitur, id est a peccato eos qui vivunt, interficere, et a seipsis illos in tua membra converte, puta in novam vitam societatis Ecclesie, » ut ait S. Augustinus, serm. 26 *De Diversis*, cap. vii.

Hinc patet minus esse verisimile quod censent aliqui animalia hæc in linteo vasa fuisse, non integra et solida, sed in ipso linteo quasi in charta æpieta, vel impressa. Probatur id ex S. Cyrillo, lib. IX *Contra Julianum*, ubi docet animalia hæc in linteo non fuisse vera, sed effigiata et expicta. Verum S. Cyrillus tantum vult dicere ea non fuisse realia et viva, sed instar statuarum fuisse exsculpta et effigiata, ita ut effigiem verum et vivorum haberent. De his enim, non

S. Petrus
quasi leo
comedit
gentes.

autem de impressis pietisque in ipso linteo, apud recteque in visione Petro dicitur: « Occide et manduca. »

Tropologie: Prælati et prædicatores cogit se debere esse leonem, fortem ac magnanimum in jugulandis erroribus, pravis moribus et amoribus, sibi quæ æque ac S. Petro dictum esse: « Occide et manduca. » Ita S. Gregorius, lib. XXX *Moral.*, cap. vii vel xi. Quocirca leonem et calidissimo debet esse stomacho, ut instar struthionis ferrum digerat, quin et serpentis aliaque venenata animalia in bonum Ecclesie succum convertat. Medici triplicem statuant stomachum. Primum debilem et infirmum, qui cesas boni succi in malum, puta in bilem aut phlegma, convertit. Secundum bonum, qui cibos boni succi in bonam alimoniam convertit. Tertium optimum, qui vi caloris res mali succi in bonum commutat. Ita symbolice primo, debili charitate sunt et virtute, qui volentes secularis convertere ab eis pervertuntur, moresque eorum induunt. Secundo, alii sunt, qui bonos in bonitate conservant. Tertio, optimi sunt, qui vi charitatis malos, serpentes, imo saevos homines in bonos, ovinos et ceteros convertunt. Talis fuit Christus, qui Magdalenam et Paulum convertit. Talis Paulus ceterique Apostoli. Talis ergo sit vos Apostolicus, animarum et Dei glorie zelator.

14. AIT AUTEM PETRUS: ABSIT, DOMINE; QUIA NUMQUAM MANDUCAVI OMNE COMMUNE ET IMMUNDUM. — « Commune, » id est impurum et profanum, ut legit S. Cyrillus, lib. IX *Contra Julianum*, quod scilicet communiter comedit poterat a quibuslibet Gentibus et immundis. Judæi enim, ne Gentes offenderent, cibos eorum, lege Mosis vetitos et immundos, non vocabant immundos, sed « communes. » Sic communicare, sive commune facere, est inquinare, vel immundum reddere, ut *Math.* xv, 11: « Non quod intrat in os, coquinaunt hominem, » Græce ὀσσεῖν, id est a communicat. » Dicit hoc Petrus, quia adhuc cum fidelibus, ut pote Judæo-Christianis, servabat legem Moysi, et differentiam ciborum mundorum et immundorum ea præscriptam *Levit.* xi, cujus differentia rationes et causas ibidem assignavit. Nota hebraismus, non omne, id est nullum: non manducavi omne commune, id est nullum commune.

15. QUOD DEUS PURIFICAVIT, TU COMMUNE (id est profanum; pollutum et immundum) NE DIXERIS. — q. d. Deus purificavit omnes cibos hoc ipso: quod legem veterem vetantem aliquos cibos quasi legaliter immundos, per novam Christi legem abolevit. Unde R. Moyses et R. Salomon apud Lyrantum, *Genes.* ix, 4, tradunt tempore Messie nulla animalia fore immunda, ut prius sub Mose, sed omnia fore munda, perinde ac fuerunt tempore Noe, qui proinde tam immunda quam munda induxit in arcam, *Genes.* vii, 28.

Symbolice, Irenæus, lib. III, cap. XII, censet omnia purificata esse per sanguinem Christi: quia

Tropologie
id est
munda
et bona.

Ver. 14
Commune
ne, id est
pollutum.

scilicet sanguis Christi abstersit legem veterem, cum omni sua immunditie. Et S. Ambrosius, lib. VII in *Luc.* cap. X, censet ea purificata per baptismum: per illum enim inserimur Christo, Ecclesie et legi novae, in qua omnia sunt munda; sicut tempore diluvii omnia in arca Noe fuerunt munda, etiam ea quae postea Moses sanxit immunda.

NE DIXERIS. — Graece *μή κενώσῃ*, id est ne commane facias, hoc est, ne contamines, ne polluas, id est ne contaminatum et pollutum dixeris, aut censueris. Est hebraismus: ponitur enim factum pro dicto, vel censura. Sic *Levit.* XIII, saepe dicitur de leproso: «Contaminabit eum sacerdos,» id est contaminatum eum iudicabit et pronuntiabit.

16. HOC FACTUM EST PER TER. — *q. d.* Ter in exstasi vidit Petrus vas e caelo ad se demitti. Ter audivit: «Oecide et manduca.» Ter respondit: «Nunquam manducavi omne commune et immundum.» Ter iterum audivit: «Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.» Ita S. Cyrillus, lib. VII in *Levit.* Ternarius, primo, confirmat visionem, ostenditque eam esse veram vereque a Deo immissam, non somniam, ait Cyrillus, loco jam citato. Secundo, symbolum est SS. Trinitatis, in cuius nomine baptizanda et regenda erant Gentes. Ita S. Augustinus, Ambrosius et alii supra citati. Unde in vita hujus S. Cornelii, quae exstat apud Surium 13 septembris, dicitur per visionem hanc ter repetitam, adumbratam fuisse trinam immersionem Cornelii et ceterorum in baptismo.

ET STATIM RECEPIT EST VAS IN CORDEM, — unde primitus dimissum erat. Ut significaret Ecclesiam Christi, in quam cooptanda erant Gentes, e caelis descendere, suosque fideles in caelum ducere et transcribere. Ita Tyrannus et alii.

17. ECCE VIRI. — Deus suavi sua providentia ita haec dirigebat, ut Petro indaganti significationem suae visionis, illico occurrerent viri quos significabat haec visio, simulque indicavit illi propter eos hanc visionem illi immissam, eosque representare. Unde et eorum gressus ita direxit, ut nescientes recta pergerent ad domum Simonis, in qua erat Petrus: «Ibi quae astiterunt ad janam; quae villis erat domus,» ait S. Chrysostomus, infra rogabat, non vicinos. » Notat S. Gregorius, hom. 1 in *Esaiam*, varios esse prophetiae modos et species, ac inter eos unum, cum mentem Prophetae Deus ex parte tangit, et ex parte non tangit, ut hic mentem Petri teltigit visione lintei, et mittendo ad eum legatos Cornelii; sed quid haec sibi vellet, ei non indicavit, nisi ipso rei eventu. Spiritus Sanctus enim sensim per occasionem et eventus, more humano voluit docere Petrum et Apostolos. Vult enim Ecclesiam imitari puerum Iesum, qui aetate crescebat et sapientia, ait Hilarius.

18. ET CUM VOCASSENT — aliquem ex incolis

domus, sive ex domesticis, vel «vocassent,» id est pulsassent januam; quae phrasi vulgo Hispani utuntur, ait Mariana.

19. DIXIT SPIRITUS, — puta Spiritus Sanctus per internam inspirationem. Ita S. Chrysostomus; S. Cyrillus, *Catech.* 17; S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, cap. XI, et S. Gregorius, lib. XXVIII *Moral.*, cap. II. Aliter Dionysius et Glossa: per Spiritum enim accipiunt angelum vicarium Spiritus Sancti, qui exterius sensibili voce dixerit: «Ecce viri tres quaerunt te.» Verum sic angelus apparuisset Petro in corpore assumpto, cuius hic nulla fit mentio, imo contrarium innuitur, cum vocatur «spiritus:» «Spiritus enim carnis et ossa non habet,» *Luc.* XXIV, 39; et cum subditur: «Ego misi illos,» Spiritus Sanctus enim mittebat illos.

20. VADE CUM EIS. — Jubetur Petrus ab oratione et Deo transire ad opera vitae activae cum proximo, aequae ac Moses, *Exod.* XXXI, 7; ut doceat idem nos facere, ac cum officium, necessitas vel charitas poscit, a Maria transire ad Martham, id est a contemplatione ad actionem.

EGO MISI ILLOS, — ego movi Cornelium ut mitteret illos.

21. ECCE EGO SUM QUEM QUERITIS. — Instinctu Spiritus Sancti descendit Petrus, offertque se ignotis antequam eorum questionem audisset, ut ipsi sciant eum virum esse divinum et Prophectam a Deo edoctum, ac proinde ei credant. Insuper mirentur et imitentur ejus promptitudinem, humilitatem, benevolentiam, charitatem ad obsequendum. Ita S. Chrysostomus.

22. ET TESTIMONIUM HABENS AD UNIVERSA GENTA JUDAEORUM. — *q. d.* Omnes Iudaei testantur Cornelium esse virum probum, justum et timentem Deum, ut praecessit, ideoque eum, licet Gentilem (a quo naturaliter Iudaei abhorreere solent) amant et venerantur. Dicunt hoc primo, ut suae assertionis, quod sit justus et timentis Deum, proferant testes; secundo, ut Petri, utpote Iudaei, gratiam Cornelio Gentili conciliant; tertio, ut Judaeo-Christiani qui cum Petro venerant, alique qui Hierosolymis erant auctores Cornelium Gentilem admissum esse ad fidem et Ecclesiam, id non egre ferant, utpote quem Iudaei ceteri diligant et colant.

RESPONSUM ACCEPTI, — puta oraculum: hoc enim est *ἡ ἀπάντησις*. Sic saepe alibi *responsionum* capitur pro oraculo.

ET AUDIRE VERBA ABS TE. — «Verba,» scilicet Christi, Evangelii, salutis et vitae aeternae, uti explicatur cap. sequenti, vers. 14. Haec enim antonomastice et per excellentiam sunt «verba.» Unde «verbum» in Epist. S. Pauli saepe capitur pro Evangelio ejusque predicatione, aequae ac Scripturae capitula pro sacra et divina.

23. RECEPIT HOSPITIO, — *ἑστιάει*, id est hospitio excepti, laute habuit, xenis et mancipiis quasi hospites donavit. Nota hic hospitalitatem insignem

Hospiti-
litas S.
Petri in
Boscom
transfe-
rebat.

S. Petri, quam ipse hospes et peregrinus, in peregrinos alieni in domo exercuit, ac ceteros fideles verbo et exemplo docuit, sed maxime in Romanam Ecclesiam transfudit, in qua proinde etiamnum hospitalitas et nosocomia visuntur tot et tanta, ut unum hoc urbis orbisque prodigium videatur. Ita olim ibidem similia exercebant Pamphilius, gener S. Paulae, Fabiola et Gallicanus, gener Constantini Magni, qui suis manibus peregrinis serviebat, totamque vitam et opes hospitalibus et hospitalitati consecravit: quae de causa martyrii lauream sub Juliano Apostata meruit.

Merito ergo hoc elogium Ecclesiae Romanae dat Martinus Papa I, *epist.* 16, quod quisquis miserabilis homo ad eam veniat, illum hospitio recipit, omnia ad usum ei prebeat, nec ullum repellat, detque panem mundissimum et vinum diversum. Eandem hospitalitatis laudem Romane Ecclesiae dat Dionysius, Corinthi Episcopus, apud *Euseb.* lib. IV, cap. XXII. Ita sane hoc anno 1622, quo Italia fame primum, deinde morbis afflicta est, Roma non tantum suos indigenas, sed et omnes ex caetera Italia aliisque provinciis turmatim affluentes hospitio excepit, alui, curavit, curaque vetera xenodochia et nosocomia turbam non caperent, nova instituit, cardinalibus aliisque sumptus liberaliter praestantibus. Haec ergo charitatis et misericordiae dos, ab initio a S. Petro Romae aspirata, etiamnum in ea perdurat, estque vere fidei et virtutis praeae ingens indicium. Plura de hospitalitate dixi *Genes.* XVIII, 1, et *Hebr.* cap. XIII, vers. 2.

ET QUIDAM EX FRATRIBUS. — Ut minimum sex, uti habetur cap. XI, 42. Quidam Codices addunt: «ut Petro testes sint;» sed haec explanationis causa a quopiam ad marginem addita, postea in textum irrepserunt. Ita Glossa.

24. ALTERA AUTEM DIE INTROIIT CESAREAM. — Haec enim distat a Joppe itinere quindecim leucarum, sive horarum, ut patet ex tabulis Adrichomii: quare commoda hoc spatium biduo confici potuit a Petro et comitibus, etiam pedibus, ut videtur.

Moraliter, notent hic Concionatores, Doctores et similes, se non debere spectare copiam et nobilitatem auditorum, sed eadem alacritate adire et docere paucos ac multos, rusticos ac nobiles, barbaros ac civiles. En tibi S. Petrus summus Pontifex non indignatur adire unum Cornelium Gentilem militem, et hoc nomine Iudaeis invisum. Nominem enim Romanorum Iudaeos sub jugo definebat. In ejus domo coram eo et paucis e familia, docet et concionatur. Ratio est multiplex.

Primo, quia in paucis subinde et rudibus major fructus fit, quam in multis divitibus. Et Deus humilitatem et charitatem Doctores remunerari solet, et facere ut e paucis fructus in multos spargatur. En tibi per Cornelium apertum est ostium Evangelii ad Gentes: mox enim caeteri Apostoli secuti exemplum S. Petri, in gentes se

disperserunt, easque converterunt. Unus ergo Cornelii conversio fuit initium et causa conversionis tot millionum in gentibus. Narrant Annales Hispaniae S. Jacobum sub idem hoc tempus in ea novem, vel, ut alii referunt, septem duntaxat convertisse: sed per hoc sparsa est fides, ac sensim tota Hispania conversa, quae deinde per alias provincias Indiasque utrasque eandem fidem propagavit, et etiamnum propagat, ut merito columna et columnae Ecclesiae nuncupari possit. Ita Christus u. i. mulieri Samaritanae praedicavit, sed per eam Samaritanam convertit, *Joan.* IV.

Secundo, esto nullus, vel parvus concionis esset fructus, tamen integram laboris et charitatis suae mercedem concionator a Deo recipiet, qui reddet unicuique secundum opera sua, non secundum fructum ex operibus secutum: hic enim saepe in manu est Dei, non nostra. Quae de causa S. Francisus, ait S. Bonaventura in ejus Vita, eadem spiritus alacritate concionabatur paucis ac multis, plebeis ac nobilibus.

Tertio, ad Dei et Ecclesiae magnificentiam spectat, multos habere doctores et concionatores qui Deum celebrent, etsi pauci sint auditores; sicut ad decorem civitatis facit, ut in ea plures sint fontes semper scaturientes, etiamsi pauci ex his aquam hauriant. Non cessat nos aquam eadem copia emanare, etiamsi nemo hauriat: et tu eodem spiritu cructa verbum Dei, esto pauci audiant. Alioqui per omnem vitam inquietus eris et miser, utpote pendulus ab auditorum phantasia et mutabilitate.

Quarto, tales justificant Deum, ejusque causam agunt: sagunt enim nomine Dei omnes docere, omnesque peccatores convertere. Quare si non convertantur, ipsorum est culpa et inexcusabiles sunt. Deus enim in iudicii die justificabit se per hosce doctores, dicetque: Ecce ego dedi vobis tot tantosque concionatores; feci quidquid potui ut vos a peccatis avellerem. At vos tam illos, quam me spreveritis: igitur digni estis maledictione et igne eterno. Quare solentur se concionatores, dum paucos vel refractarios habent auditores, exemplo Christi, qui tales habuit, et Dei, qui solem facit oriri super bonos et malos, pluit super justos et injustos, qui tot tantaque bona in dies in homines effundit, etiamsi pauci ad ea advertant, pro iisque Deo gratias agant. Noli ergo animum dejicere, ne sinas tibi ligari linguam, cum auditorium minuitur, imo tunc valentius concionare: ostende te Dei gloriam quaerere, non hominum. Si uni Deo placere et satisfacere in paucis inducas, non curabis a multi, et a paucis audiant. Signum minus rectae intentionis est, cupere vel quaerere cathedras honoratas et frequentes, nimium quod quaeras placum hominum magis, quam uni Deo placere. Et hoc vanitas est, a qua nos liberet veritas. Verum est illud Gallorum proverbium: *Beaucoup de bruit, peu de fruit.* Ea quae plausum habent, parum habent placentis et

Secundo.

Tertio.

Vers. 16.
Ter visio
repetita,
cap. 7.

Vers. 21.

Vers. 22.

Moral.
de prae-
dicando
paucos et
rudibus.

Sim.

fructus. Videmus in multis Academicis professores Medicinæ et Juris paucos habere auditores, et tamen animose docere per multos annos, imo per totam vitam hoc nomine, quod Academia requirit tales, et quod integra semper percipiant stipendia. Idem apud se statuatur concionator. Plato uno Aristotele discipulo contentus, cum is in scholis adesset, ceteri aberant, decebat, dicens: « Auditorium est. » Nos magnum habemus auditorem Deum, quid ultra requirimus? Stratonius musicus cum in ludo suo haberet pictas Musas novem, Apollinem unum, discipulos autem tantum haberet duos, rogatus a quodam quot haberet discipulos? Cum diis, inquit, duodecim: ita Atheneus, et ex eo Brusonius, lib. V, cap. II. Tu, si sex habeas, cogita te totidem auditores habere angelos, eorum custodes.

Quinto, Deus non tantum considerat quantum quam ex quanto faciamus, puta ex quanta humilitate, charitate et zelo; ex his enim opus suam vim, valorem et meritum sortitur. Qua in re errant plerique: putant enim meritum consistere in magnitudine operum, cum in eo non consistat, sed in magnitudine charitatis. Fac opus parvum magna charitate, plus mereberis quam is qui facit opus magnum ex parva charitate; radix enim, norma et mensura meriti est charitas. Hæc magis puriusque exerceat coram paucis quam multis; coram plebeis et rusticis, quam divitibus et nobilibus, ubi sæpe se miscet carnalitas et cupiditas, cum in illis sit mera puraque charitas.

Sicut mathematicus considerat lineam in se, et abstrahit ab eo quod sit aurea, vel ærea, nec libentius auream quam æream speculat: ita sanctus doctor et prædicator unum Deum spectat: illi soli placere intendit, illius voluntatem explere satagit, nec curat an id fiat in officis et pulpitis splendidis, vel vulgaribus; an coram multis, vel paucis. Denique S. Monica unum discipulum habuit, filium S. Augustinum: quot quantosque pro eo uno formando labores et dolores subiit? At per unum Augustinum quot quantosque docuit, et etiamnum docet et convertit? Anachoretæ plerique unum alterumve duntaxat habebant discipulum, in eo poliando et perficiendo totam vitam insumebant, ut eum suæ vite et doctrine, æque ac cellæ, relinquere heredem. At unus ille alterve in virum perfectum evadebat, etatque instans mille, qui proinde multos alios ad vitam religiosam et perfectam instituebat, uti videre est in Vitis Patrum.

NECESSARIUS AMICIS.—*q. d.* Amicis non omnibus, sed magis intimis, puta necessitudine et propinquitate conjunctis.

25. ADORAVIT, — non latria, sed adoratione civili et religiosa, sicut Abraham adoravit filios Heth, Gen. XXIII, 7; et Alexander Magnus Jaddum, pontificem Judæorum, teste Josepho, lib. XI Ant. viii; et sicut modo, exemplo Cornelii, fideles adorant pontificem, eumque genuflexi osculo pedis

venerantur; quod notant hæretici. Adit vir doctus Cornelium proprie adorasse Petrum: putasse enim in Petro esse quid numinis, eumque esse quid per hominem, imo super angelos, utpote ad quem ab angelo missus esset, auditurum ab eo verba salutis, et majora quam ab angelo audisset. Unde et S. Hieronymus, lib. *Contra Vigilant.*, ait Cornelium eo errore laborasse quo Lycaonii, qui Paulum esse Mercurium opinabantur, Barnabam vero Jovem, Act. xiv, 11. Sic enim Gentiles, præsertim platonici, hæreses censebant esse deos quosdam inferiores, terrestres et medios inter Deum et homines ceteros. Verum hoc de Cornelio unum Deum cognoscente et colente, imo religioso, justo et sancto, parum videtur credibile, præsertim cum ipse hæc omnia faceret Deo astante, ducente, gubernante. Sciebat enim unum esse Deum, non plures, uti recte advertit Salmeron hic, et Suarez, III *part.*, tom. I, disp. LIII, sect. 4, et Vasquez, lib. I *De Adorat.*, cap. III, num. 161.

Dices: Cur ergo Petrus hanc adorationem recusat, causam allegans dicensque: « Surge, et ego ipse homo sum? » Respondeo: Id facit humilitatis et modestiæ studio, ad exemplum fidei; præsertim quia apud Judæos unum Deum adorantes, inusitata et suspectata erat hominis qualibet adoratio: qua de causa Mardocheus noluit adorare, id est genua flectere coram Aman. Unde Petro in primis illis tenuibus sui pontificatus initiis, hic honor visus est equo major et immoedior, ut ait S. Gregorius, lib. XXI *Moral.* x vel xi. Sensus est ergo, *q. d.* Surge, Corneli: ego enim homo sum tui similis, ac proinde nolo ut te ante me prosternas. Hæc enim prosternatio nobis Judæis est insolita, nec fere fieri solet nisi angelo, aut Deo, qualis ego non sum. Itaque, licet tua erga me, id est Patrem tuum spiritalem, reverentia et veneratio bona sit et sancta, tamen hoc tempore eam mihi adhiberi nolo, tum ut dem humilitatis exemplum; tum ne Judæos comites meos, quibus illa nimia, nec homini, sed angelo, vel Deo debita videri potest, offendam: tua enim tam profunda mentis, vultus et corporis ante me demissio, eis videtur numini potius quam homini competere: quare ergo hinc honorem, modestiæ et scandali vitandæ causa, declino, fateorque me hominem esse, ac ut hominem comiter et familiariter velle tecum agere. Simili de causa noluit angelus a Joanne adorari genuflexione, Apoc. xix, 40, ut ibi dixi.

Tolerabilius dici posset Cornelium putasse Petrum esse angelum incarnatum, et ut talem adorasse, ideoque prohibuit a Petro dicens: « Et ego homo sum. » Verum Cornelium scivisse Petrum esse hominem, non angelum, patet ex dictis et ex circumstantiis notisque Petri, quas et indicavit angelus, jubens eum vocari vers. 5 et 6. Adoravit ergo eum ut hominem, sed Prophetam et Spiritu Dei plenum: Petrus vero modeste hunc

Cono-
linc ad-
rat Pa-
trum,
161

honorem recusavit, de quo vide S. Basilium, in *Moral.* LIX.

28. ABOMINATUM SIT.—Græcum ἀβωμωρατόν, id est *ilticitum* (ut habent Biblia Gothica, teste Mariana), *iniquum, nefarium, abominabile*, deducitur a βωμ, id est *lex, jus, fas*, et a privativo: *q. d.* Contra jus et fas est. Judæi enim abominabantur et avversabant alienigenas, id est Gentes, quasi infideles, impias, exleges, impuras, pollutas; uti vicissim Gentes spernabant Judæos, quasi viles, singulares et lege ac religione diversos et separatos a cæteris populis; eosque per contemptum vocabant verpos, recutitos, apellas.

SED MIHI OSTENDIT DEUS, NEMINEM COMMUNEM AUT IMMUNDUM DICERE.—Neminem scilicet ut immundum et pollutum, abominandum esse et avversandum. Ostendit autem id Deus per visionem vasis lintei et animalium immundorum, que significabant Gentiles, dicendo: « Occide et manduca: quod Deus proficavit, tu commune, » id est pollutum et immundum, « no dixeris. »

29. SINE DEBINATIONE, — ἀνακλίβητος, id est *contra dinationem*, ut veritè Tigurina; Syrus, *expedito*; Pagninus et Vatablus, *inevacantem*.

INTERROGO.—Sciebat Petrus ex visione lintei, et ex instinctu Spiritus Sancti, et ex nuntiis promissis, quid vellet Cornelium. Interrogat tamen eum, ut plenus Cornelii animus perscrutetur, acutique ejus desiderium audiendi res fidei et salutis. Ita S. Chrysostomus.

30. A NUDIUSQUARTA DIE, — ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας, id est *die abhinc quarta*. Ita Tigurina, Pagninus et Syrus. « Prima die viderat angelum, et miserat nuntios; secunda hi pervenerunt Joppen; idem inde cum Petro profecti sunt; quarta reverterunt Cesaream, » ait Lyranus.

Porro Græca et Syra sic habent: *Die abhinc quarto usque ad hanc horam eram* (hoc est enim *erat*, licet Tigurina et alii apud Gagneium legant *erat*, id est *sedebam*) *jejunans, et hora nona precabar donum meum*: quorum verborum sensus clarus est hic, *q. d.* Quarto abhinc die eram jejunans usque ad horam hanc vespertinam, quando more meo orans hora nona, vidi angelum. Aliter veritè S. Chrysostomus, scilicet « a quatuor diebus eram jejunans, cum hora nona orans vidi angelum. »

Sensus enim ipse quattuor hosce dies jejunii Cornelii præcessisse apparitionem angeli, quasi eam meruerit Cornelius per prævium quadriduamum jejunium. Aliter quoque ex versione nostra vulgarè interpretantur alii, *q. d.* Ab hora nona nudiusquarta, quando mihi oranti apparuit angelus, hucusque mansi jejunus et orans. Hunc enim sensum exigere videtur *à nudiusquarta die*. Unde sequitur Cornelium in oratione jejunum (ut habent Græca et Syra) perstitisse per quadriduum, scilicet usque ad adventum S. Petri, itaque se preparasse ad recipiendum Christi fidem et Baptismum. Dicit vero *eram*, potius quam *sum*, vel *mansi*, aut *maneo*, quia maxime urget initium

orationis suæ, quando ei apparuit angelus, et quia jam paulo ante ab oratione cesserat, scilicet mox ut advenit Petrus. Verum hic sensus dissensit a Græco et Syro: quare ut ei consentiat versio nostra Latina, sic exponenda est, *q. d.* Nudiusquarta die, id est nudiusquartus, eram orans hæc nona usque ad hanc horam, scilicet vespertinam: videtur enim Petrus vespere pervenisse Joppen, et ingressus domum Cornelii, ut itinerantes facere solent. Primus ergo sensus est genuinus. *Nudius quartus* enim, ait Festus, componitur ex *nunc* et *die quarto*, *q. d.* Nunc est dies quartus. Unde *a nudiusquarta die* idem est quod, ex nunc quarta die, sive quarta abhinc die, ut habent Græcos et Syrus: *nudius* enim idem est quod *nunc dies*.

ORANS ERAM HORA NONA.—Notant Bedæ et Legese nonnullos codices Latinos et Græcos sic legere, *adorans eram a sæcula usque ad nonam*. Unde et Occumenius cum orasse per tres horas antequam angelus veniret; sed vera lectio et expositio est ea quam paulo ante dedi.

IN VESTE CANDIDA.—Græce λευκῶς, id est *splendida*; color enim candidus est lucidus et splendidus. Unde olim vestis candida erat nobilitum et ambientium magistratus, qui inde vocabantur Candidati.

31. EXAUDITA EST ORATIO TUA.—qua orasti pro salute tua et tuorum: unde suggero tibi, ut voces Petrum: hic te docebit fidem Christi, que te ad salutem et beatitudinem perducat.

ET ELEEMOSINE TUE COMMEMORATE SUNT.—*q. d.* Deus recordatus est elemosynarum tuarum, ac propter eas impertiet tibi lucem Evangelii. Vide dicta vers. 4.

33. NUNC ERGO OMNES NOS IN CONSPECTU TEO AD-
VERSUS, — quasi prompti et parati audire et facere quæcumque ex Deo jusseris. Græca jam habent, *in conspectu Dei*, quod Tigurina veritè, teste Deo; Vatablus, *conspecto Deo omnes adsumus*, *q. d.* Testamur Deum et juramus nos paratos audire et facere ea que tibi præcepta sunt a Deo (1).

34. IN VERITATE COMPERI, — καταλαβόντων, id est *Ver. 34.* *comperio, deprehendo, video*.

QUIA NON EST PERSONARUM ACCEPTOR DEUS.—Græce eleganter dicitur *οὐκ ἔστι προσώπων ἄριστος*, *q. d.* Deus non est personarum acceptor, ut scilicet Judæos (ut ipsi putant) præ Gentibus, sicut aut meruerit Cornelius per prævium quadriduamum jejunium. Aliter quoque ex versione nostra vulgarè interpretantur alii, *q. d.* Ab hora nona nudiusquarta, quando mihi oranti apparuit angelus, hucusque mansi jejunus et orans. Hunc enim sensum exigere videtur *à nudiusquarta die*. Unde sequitur Cornelium in oratione jejunum (ut habent Græca et Syra) perstitisse per quadriduum, scilicet usque ad adventum S. Petri, itaque se preparasse ad recipiendum Christi fidem et Baptismum. Dicit vero *eram*, potius quam *sum*, vel *mansi*, aut *maneo*, quia maxime urget initium

(1) Sed vetustior esse videtur lectio Syri et Latini aliorumque, *in conspectu tuo*. Quodsi enim vera lectio esset *in conspectu Dei*, Lucas, in fine versus, pro *a Domino scriptis* ab illo.

non ligatur, quia homines ad Dei gratiam, fidem et salutem nullum jus habent. Unde Deus sine alla injuria et sine vitio acceptionis personarum potuisset eligere Judaeos ad christianismum, et ab eo excludere Gentem. Ergo haec acceptio personarum hoc loco est illa, quae fit in rebus gratis, quae ex mera donantis libertate pendent, ut si dives velit facere elemosynam, sed certis personis duntaxat, v. g. suis civibus, vel subditis, q. d. Deus in distribuendis suis fidei et gratiae donis non respicit personam, an videlicet Judaeus sit an Gentilis, sed utrislibet eam offert, ac praesertim, « in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi, » ut tu, o Cornelii, licet Gentilis, quia times Deum et operaris justitiam (hoc ipso enim dignior es Judaeis), acceptus es illi, ideoque per me tibi fidem explicitam Christi, baptismum et christianismum impertiet. Vide quae de personarum acceptione dixi Rom. II, 11.

Vers. 35. **35. ET OPERATUR JUSTITIAM.** — « Justitia » hic primo accipi potest generaliter, ut virtutes omnes contineat sitque earum complexio, a qua denominatur justus. Sic etiam accipitur ab Aristotele; V Ethic. I.

Secunda. **Secundo**, « justitia » accipi potest pro elemosyna: Cornelii enim justitia maxime ista erat in erogandis elemosynis; sic accipitur Psal. cxi, 9: « Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in saeculum saeculi; » justitia, id est elemosyna, quam dispersit in pauperes. Ratio est, quia per elemosynam explems triplex jus et debitum, nimirum id quod debemus proximo, nobis et Deo: homo enim homini debet humanitatem; sibi debet, ut suae naturae consortem ac concordem et consanguineum, quasi suum fratrem adjuvet; Deo debet, ut cum ipsi in se benefacere non possit, id faciat ejus imagini, puta homini, quem Deus creavit ad suam imaginem et similitudinem, ut esset quasi Deus quidam terrestres; praesertim cum Deus in tota Scriptura id tantopere jubeat et commendat, sibi quae id fieri aestimet, atque hujus rei rationem exacturus sit in die iudicii, ac misericordes caelo, immiseriordes inferno adjudicaturus, Matth. xxv, 35; hinc Hebr. affines sunt voces, et per metathesim pene eadem **חסד chesed**, id est pietas, misericordia; et **צדק cedek**, id est justitia, adeoque **צדקת chesit**, id est pius, misericors, idem est quod justus et sanctus. Causa dedit II Cor. ix, 9, et Dan. iv, 24.

Tertio, « justitia » hic accipi potest antonomastice, scilicet non qualis qualis, sed illustris, eximia et heroica. Sic capitur Eccli. xx, 30: « Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur. » Et Hebr. xi, 33: « Sancti per fidem vicierunt regna, operati sunt justitiam: » ibi enim Apostolus heroica patrum facta, quasi fidei illustres effectus et elogium commemorat. Pari modo Cornelius non tantum justus erat, sed illustra justitia et elemosynae facinora edebat. Unde praeter ceteris meruit visitari ab

angelo, primusque gentiliam publice a S. Petro Christianismo initiari. Quocirea S. Chrysostomus, omnibus Cornelium in exemplum justitiae et honorum operum, aequae ac remunerationis divinae proponit.

36. VERBUM MISIT DEUS. — Hic Petrus finita praefatione non oritur, ac Centurionem cum suis catechizat, ait Tertullianus, lib. De Corona militis, cap. xi. Primum enim Apostolorum coniones fuerunt catecheses: de quo gloriorum nostri catechista sintque eorum emuli. Docet enim Petrus Jesum Christum a Patre missum in carnem, ad redimendum homines, ideoque passum, crucifixum, resurrexisse, venturum iudicem: per ejus merita remittit peccata, dari gratiam et salutem. Nota: « Verbum » hoc accipi potest, primo, pro sermone et praedicatione Evangelii; secundo, pro Verbo aeterno, id est Filio Dei incarnato, hoc est, Jesu a Nazareth, ut sic explicat Petrus, vers. 38. Sic enim de eo ait Joannes in initio *Evang.*: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, etc. Et Verbum caro factum est. » Ita Hugo, Glossa et Dionysius hic, ac S. Athanasius, orat. *Contra Arian.* in illud, *Deus de Deo. Tertio* et plane, « verbum » hic accipias pro re verbo significata, puta pro rebus a Christo dictis et factis, de quo mox plura. Alludit Petrus ad illud *Isaie ix, 8*: « Verbum misit Dominus in Jacob, et coecidit in Israel. » Est enim utrobique eadem phrasid, sed dispar scopus et sensus. Vide ibi dicta.

ANNUNTIANS PACEM PER JESUM CHRISTUM. — puta pacem et reconciliationem cum Deo, indeque cum proximis, aequae ac pacem conscientiae. Unde Angeli Christo nato illico coecinerunt: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis, » Luc. II. Hanc pacem allatam a Christo saepe commendat Apostolus ac praesertim, *Ephes. II, 14*: « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, » etc. Vide ibi dicta.

HIC EST ORNIUM DOMINUS. — « Hic, » scilicet Jesus Christus, qui proxime processit. Unde Christi divinitatem contra Arianos ex hoc loco probat S. Athanasius, loco jam citato, et alii.

37. VOS SCRISIT (1) id est est rumore audistis, ex fama commo: i confuse; nam distincte et particulatim ignorabant: unde edocentur hic a Petro; cognono-

(1) Vers. 36 et 37. Luculentum, ut opinor, hujus loco, nimum ab interpretibus versibusque vexati, interpretationem dat Kuinoelius: scilicet verba *ἤματι ἐστὶν* a commate 37 avellit; *τὸν λόγον* vero et comma 37 *τὸν ἠκούσαν* *ἔφη* uti per appositionem juncta censet, atque verba *ἔφη*; *ἔστι πάντων κύριος*; uncia includit; ut sensus sit: « Doctrinam quam Deus Israelitis tradendam curavit, annuntians pacem per Jesum Messiam (qui est omnium Dominus), vosmet nobis, doctrinam (*ἔφη*) inquam, quae per totam Judaeam propagata est, exorsa a Galilea, inde a baptismate quod Joannes commendavit. » *Notis* non est de plena atque accurata religionis Christianae intelligendum; sed de praedicatione, v. g. Philipp. Act. viii, 40.

Verbum triplex.

VERBUM QUOD FACTUM EST VERBUM. — « Verbum » hic paulo aliter a nonnullis capitur, quam vers. praeced. : ibi enim Graeco erat *λόγος*, hic vero est *ῥῆμα*. Verbum enim aeternum, puta Dei Filius, in Scriptura vocatur *λόγος*, non *ῥῆμα*; *ῥῆμα* ergo significat Evangelii praedicationem factam a Christo per totam Judaeam. Ita Hugo, Glossa et Dionysius.

Secundo et planius, « verbum » hic capitur metonymice pro re, puta pro summa dictionum et factorum Christi, quam Graeci vocant *oconomiam* Christi: hanc enim in sequentibus explicat et enarrat S. Petrus. Ita Lyranus, Cajetanus, Gagneus et noster Lorinus, q. d. Audistis famam praedicationis, miraculorum et gestorum Christi. Hunc esse sensum patet ex textu Graeco, qui sic habet: *ἤματι ἐστὶν τὸν ἠκούσαν ῥῆμα καὶ διὰ τῆς ἰσχυρίας ἀκούσαντες ἀπὸ τῆς Παλαιάς, κατὰ τὸ θεῖον ἠκούσαντες ἰσχυρίας, ἴσχυον τὸν ἀπὸ Ναζαρέτ, οὗ ἔγραψεν αὐτὸν ὁ θεὸς κηρύττειν ἔφη, id est: Vos scitis et verbum quod factum est per totam Judaeam, exortum a Galilea, post baptismum quem praedicavit Joannes, Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto. Ita Pagninus, Tigurina, Vatablus, Gagneus et alii passim. Unde patet primo, « verbum » hoc esse « Jesum a Nazareth, » puta dicta et gesta Jesu Nazarethi, quae scilicet ipse post susceptum a Joanne baptismum, accepto ab eo testimonio quod ipse esset Messias, cepit docere et facere, incipiens a Galilea, et proseguens per universam Judaeam. Unde illud explicans Petrus subdit: « Quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a Diabolo. » Quare Vatablus per metathesim unius voculae « quomodo » sic exponit: « Vos scitis verbum quod factum est, scilicet quomodo unxit Deus Jesum Nazarenum Spiritu Sancto, » etc., ut pronomen « eum, » per pleonasmum Hebraeum redundet. Patet secundo, « verbum » hoc versu idem significare quod vers. praeced., scilicet dicta et facta Christi. Patet tertio, *τὸ incipiens*, vel, ut alii vertunt, *exortum*, referre verbum quod processit, non Deum: licet ergo Latina versio habeat, *incipiens enim a Galilea*, subaudi: *fuit*; tamen Graeca non habent *τὸ enim*: eo enim omisso, sensus plane fluit.*

POST BAPTISMUM QUOD PRAEDICAVIT JOANNES. — Pronomen quod, refert baptismum, quia sicut Graecis *ἄρτισ* dicitur in neutro genere, et *ἄρτισ* in masculino, sic et latine dicitur *baptismus* masculinae, et *baptismum* neutre, ut neutre usurpat saepe S. Augustinus, S. Hieronymus et alia. Aliter haec legitur Rabanus et Beda, nimirum sic: « Vos scitis ut praedicavit Joannes Jesum a Nazareth. »

38. JESUM A NAZARETH. — Scilicet, scitis esse verbum jam dictum: inde enim connexe haec omnia pendunt, uti jam ostendi ex Graeco. De nomine Nazarethi dixi cap. II, 22.

QUOMODO UNXIT EUM DEUS SPIRITU SANCTO. — De hac unctione dixi cap. IV, 27. Vide Eusebium, lib. IV De Demonstr., cap. XV, ubi docet gratiam Spiritus

Sancti recte vocari oleum et unctionem, quia instar olei nitidos facit, lucidos, fortes, vegetos et hilares.

ET VIRTUTE. — *δύναμις*, id est potentia. Hanc enim Christus divinam ostendit in patrandis miraculis, ejiciendis demonibus, convertendis animis.

QUI PERTRANSIVIT BENEFACIENDO. — *διεγερῶν*, id est *Christus benefaciens*; ut recte Christus cognominari posset Evergetes, id est benefactor, utique longe verius quam Ptolemeus ille rex Aegypti, ordine tertius. Proprium ergo Christi ejusque asseclarum est, nemini male, sed cuiuslibet benefacere, ut ubicumque degit, spargat radios suae beneficentiae instar solis, qui jugiter currit et pertransit, ut lucem, calorem et influxum suum communicet hominibus et plantis in toto orbe dispersis.

Vere S. Bernardus, epist. 253 ad Guarinum: *Christus* « Pertransiit, ait, sicut non infructuose, ita non remisse, non pigre, non lento gressu, sed quemadmodum de eo scriptum est: Exullavit ut gigas ad currendam viam. Porro currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat: Sic currite ad comprehendendis, ubi tu, Christiane, fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suum. Factus est, ait, obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Idem, *serm. II* inter parvos: « Justitia, ait, est in duobus, in innocentia et in beneficentia. Innocentia justitiam inchoat, beneficentia consummat. » Idem, epist. 181 ad *Himericum*: « Benevolus nil sibi curius ipsa estimat benevolentia, qua et benevolus nominatur, et beneficus est. » S. Chrysostomus, hom. 27 in *Genes.*: « Benefacere, ait, homini, est beneficium magnum apud Deum deponere. » Dei enim proprium est benefacere, sicut diaboli malefacere. Deum ergo patrem suum imitatur benefici. Audi Christum, *Matth. v, 44*: « Benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. »

Quare Superius, non Christiana est ista Ciceronis vox: « Beneficium nec in juvenem, nec in senem conferendum est: in hunc, quia perit antequam gratiae referendae detur opportunitas; in illum, quia non meminit. » Pientius Titus Vespasianus Imperator aiebat: « Non licere quemquam a vultu imperatoris tristem discedere. » Idem recordatus se eo die nemini benefecisse: « Amici, ait, diem perdidimus; » ita Suetonius, in ejus Vita. Pythagoras rogatus, « quia ratione homines diis similes haberi possent? Respondit: Si veritatem amplecterentur et cunctis benefacerent. » Ita Elianus, lib. XII. Theophrastus rogatus « quidnam vilam humanam conservaret? Respondit: Beneficentia. » Ita Stobaeus, *serm. 48*. Anaxilaus interrogatus « quid esset in regno

Christus evergetes.

Christus ver deus in forma dei.

beneficissimum? respondit: Nunquam vicini be-
 re. Publius Minus: «Beneficium, ait, quod
 dare nescit, injuste petit.» Alexander Severus
 Imperator, rogatus: «Quis esset optimas?» re-
 spondit: Qui amicos muneribus retinet, et inimicos
 beneficis ambit sibi que conciliat. » Ita Ma-
 ximus, serm. 9 *De Magist.* Epictetus: «Sicut sol,
 ait, non expectat preces ut exorietur, sed illico
 fulget ac saluatur ab omnibus; ita neque tu ex-
 pectaveris plausus, strepitus et laudes ut benefa-
 cias, sed sponte confer beneficia, et aequae ac
 sol ambieris, » teste Stobaeo, serm. 14 *De Magist.*
 Praedarius S. Gregorius Nyssenus, orat. *De Peuper.*
amandis: «Beneficentia, ait, est omnium virtu-
 tum laudatarum praestantissima. Haec est felicitatis
 comes. Haec assidet Deo, et magna est cum
 ipso necessitudinis conjuncta.»

ET SANANDO OMNES OPPRESSOS A DIABOLO, —
 καὶ καθύπερθε ἐπιθεῖν, id est potentia et tyrannide dia-
 boli in potestatem ejus redactos, oppressos et
 sub jugum missos, possessos scilicet a diabolo,
 vel corpore, vel anima, vel utroque. Diabolus
 enim erat princeps mundi; sed eum suo prin-
 cipatu tyrannico dejecit Christus, Luc. xi, 42.

Deus in
 Christo
 triplici-
 ter.

QUONIAM DEUS ERAT CUM ILLO: — primo, per
 unionem hypostaticam; secundo, per gratiam
 eximiam, singularem et capitalem, qualis decebat
 unigenitum Dei; tertio, per potentem opera-
 tionem miraculorum et sanitarum, perque effica-
 cionem predicationem, qua mentes hominum illu-
 minabat et ad Deum convertebat. Inde vocatus
 est Emmanuel, id est *Nobilis cum Deo*, Isaia vii, 14.
 Paeserat ergo Nestorius, qui ex hoc loco et simili-
 bus inferebat Christum esse merum hominem,
 non Deum, quia Deus erat cum illo, scilicet
 homine Christo: alia ergo erat persona hominis
 Christi, alia Dei, qui erat cum illo homine. Res-
 pondeo enim negando consequentiam: nam si
 illo significat hominem Christum existentem, non
 subsistentem in propria persona, sed in persona
 Verbi, ac proinde non significat personam hominis,
 sed naturam et existentiam hominis in con-
 creto: in hac enim erat Deus per unionem hy-
 postaticam, ac consequenter et suam hypostasim
 et subsistentiam divinam communicabat. Aliter
 ergo Deus est in nobis, aliter in Christo: in nobis
 enim tantum est per gratiam et operationem; in
 Christo, etiam per substantiam.

NOX OMNI POPULO. — «Suscitatum Christum
 nemo vidit ipsorum, » ait S. Augustinus, tract.
 76 in Joannem.

QUI CONSTITUTUS (ἀποπέθετο, id est definitus,
 ἀστίνatus, designatus) EST A DEO JUDEX, — nimirum
 quia homo, et quia filius hominis est, » ut ait
 Joann. cap. v, 27, ut scilicet in humana natura,
 gloriosa, visibiliter judicet omnes homines in
 valle Josaphat in ultimo mundi die. Haec enim
 potestas iudicaria debita est humanitati Christi
 ob unionem cum Verbo: loquitur S. Petrus pri-
 mario de iudicio universali, secundo de par-

ficulari: haec enim universali annexum et subor-
 dinatum est Christus enim particulatim singulos
 homines juicet, dum moriantur, non quod
 singulorum nime deferantur in caelum, Christo
 quoque iudicio iudicanda sistantur, ut velle videtur
 S. Augustinus, lib. *De Vanitate saeculi*, cap. 1;
 S. Chrysostomus, hom. 46 *ad Popul.*, et S. Ber-
 nardus, in *Meditation.*, cap. 11: nec enim decet
 peccatores in caelum elevari; non etiam quod
 Christus pers naliter in terram descendat, ut
 quemque mo lentem iudicet, uti videtur velle
 Innocentius III lib. II *De Contemptu mundi*, cap.
 XLIII; sic enim Christus quolibet momento debet
 et caelo in terram, imo in varia terrae loca
 simul descendere: sed quod animae defuncti
 statim post morem intellectualiter loquatur, eiq-
 ue sua facta representet, ac pro meritis, vel
 demeritis cuique sententiam quasi iudex dicit
 et proferat. Sicut enim angelus in Oriente potest
 loqui altari angelo, qui est in Occidente, per
 mentalem locutionem, ita Christus, gloriosus in
 caelo, mentaliter potest loqui animae existenti in
 terris. Ita Franciscus Suarez, III *part.*, tom. II,
 disp. 52, sect. 2; licet nonnulli sentiant Christum
 particulare ejusque iudicium peragere per an-
 gelum ejus custodem, uti dixi cap. vii, 38.

Nota: Hanc potestatem iudicariam habuit
 Christus in actu primo, a primo instanti con-
 ceptionis suae et unionis cum Verbo. Ex tunc
 enim habuit jus et potestatem iudicandi omnes,
 aequae ad dominum universi et creaturarum om-
 nium; sed usum et exercitium hujus potestatis
 accepit in resurrectione: tunc enim accepti glo-
 riam regnantis statumque dominantis, dum enim
 viveret habuit statum se humilioris et patientis,
 morientis et morientis.

VIVORUM ET MORTUORUM, — id est iustorum et
 iniustorum, ait S. Chrysostomus, hom. 1 *De*
Symbolo, et S. Augustinus, *Enchir.*, cap. 11; ani-
 marum et corporum, ait Rufinus in *Symbolo*.
 Verum haec mystica et symbolica sunt. Dico ergo
 ad litteram vivos hic vocari eos qui in iudicio
 vivi reperientur, veteros vocari mortuos,
 non quod et illi morituri non sint, sed quod e
 morte illico sint resurrecturi, ita ut mors eis sit
 potius transitus ad vitam, quam interitus. Vide
 dicta 1 *Thessal.* iv, 13.

Illic patet omnes omnino homines resurrectu-
 ros, praesentes fore Christo in die iudicii, ab
 eo iudicandos, etiam parvulus sine baptismo
 in peccato originali mortuos, uti docet S. Gre-
 gorius, lib. IX *Moral.*, cap. xii vel xvi, et S. Augus-
 tinus, lib. III *De Libero arbitrio*, cap. xxiii, et
 perique Scholastici, in IV, dist. XLVII; omnes
 enim subditi sunt iudici Christo, sicut pro om-
 nibus idem natus et mortuus est. Christus itaque
 in parvulis proferet sententiam mediam: non
 enim admittit eos in caelum, ut beatos, nec
 damnabit ad ignem gehennae, ut damnatos. Pu-
 niat ergo eos poena damni, id est privatione con-

Quoniam
 Christus
 erat ge-
 nitoris
 capiteque
 iudicium

lesis gloria ob peccatum originale, non vero
 poena sensus: haec enim respondet peccato actuali,
 quod parvuli non habent.

43. REMISSIONEM PECCATORUM ACCIPERE, — id est,
 quod remissionem peccatorum accepturus sit per
 nomen ejus, quisquis crediderit in eum, ut vertit
 Tigurina, qui scilicet in eum crediderit fide,
 non mortua, sed viva, quae in spei, timo-
 ris, invocationis, charitatis et ceterarum virtu-
 tum actus se exerit, ut scilicet credat Christum
 esse mediatorem inter Deum et homines, ejusque
 passionis merito Deum remittere peccata; ac ut
 talem invocet, amet, veneretur ejusque legi et
 preceptis per omnia obediat. Ita contra hereti-
 cos hujus temporis explicat et docet S. Jacobus,
 cap. ii, 24. Cur Apostoli passim inculcent benefi-
 cium remissionis peccatorum, causas dedici
 cap. v, 31, et cap. ii, 38; licet enim Cornelius
 jam esset justificatus, tamen etiam justus sup-
 plicis in die cadit, saltem in peccatum veniale.
 Adde in domo Cornelii multos fuisse qui necdum
 remissionem peccatorum acceperant, sed jam a
 S. Petro erant accepturi per fidem Christi. Deni-
 que docet hic S. Petrus vim baptismi, quod
 nimirum remittit peccata, ideoque nemo justifi-
 cetur nisi eum actu suscipiat, vel habeat in voto,
 uti habuit Cornelius.

Ver. 44.
 Cecidit
 Spiritus
 Sanctus
 super
 eos?

44. CECIDIT SPIRITUS SANCTUS, — visibili specie,
 scilicet in igneis linguis, incumbens capiti Corne-
 lio et domesticorum ejus. Haec enim specie des-
 cenderat in Apostolos. Id patet ex cap. seq.,
 vers. 16, ubi dicitur: «Cecidit Spiritus Sanctus
 super eos, sicut et in nos in initio, » puta in
 Pentecoste, per linguas igneas. Unde et sequitur:
 «Audiebant enim illos loquentes linguis, » Porro
 cecidit Spiritus Sanctus in eos antequam bap-
 tizarentur: unde sequitur eos ad catechesim S. Pe-
 tri fidem in Christum concepsisse ac contritionem
 de peccatis, cum audirent remissionem peccato-
 rum sperandam et petendam a Christo, per eam-
 que se esse justificatos. Ita disposuit Deus, ut
 Judei Petrum non possent arguere, quod eos
 utpote Gentiles baptizasset et Christianismo ini-
 tiasset, utpote eum vidissent in eos jam ante
 descendisse Spiritum Sanctum qui suo descensu
 eos sibi in filios adoptabat, itaque significabat
 eos in Ecclesiam suam esse cooptandos. Ita
 S. Chrysostomus. Quare imperite hoc loco argu-
 mantur heretici: Cornelius ante baptismum
 recepit Spiritum Sanctum, ergo eum non confert
 baptismus; sed is tantum est signum justitiae et
 gratiae per fidem accipit: perinde enim est ac si
 sic argumentarentur. Contritio confert Spiritum
 Sanctum; ergo eum non confert baptismus. In-
 nepha enim est utraque consequentia. Idem enim
 effectus, puta gratia Spiritus Sancti a pluribus
 causis promanare potest, puta a contritione et a
 baptismo. Adde contritionem includere votum
 baptismi, et sine eo non conferre Spiritum San-
 ctum, uti superius dixi. Denique hic lapsus Spi-

ritus Sancti in Cornelium ante baptismum, fuit
 privilegium speciale ei soli concessum, quod
 regulae legique communi, iuxta quam per bap-
 tismum datur remissio peccatorum et gratia
 Spiritus Sancti, non prejudicat.

45. EX CIRCUMCISIONE (ex Iudaismo) FIDELES; —
 est synecdoche: ponitur enim circumcisio pro tota
 lege Moysi, quia ipsa ejus erat initium et professio,
 uti est baptismus legis novae et Christianismi.
 Secundo, «ex circumcisio, » id est circumcisi,
 puta Iudaei fideles et Christiani. Est graecismus,
 de quo dixi, Rom. iv, 12.

QUIA ET IN NATIONES (Graeci, id est Gentes et Gentiles)
 GRATIA SPIRITUS SANCTI EFFUSA EST. — Putabant
 enim Iudaei Christum Christianique gratiam et Ec-
 clesiam Iudaeis solis esse promissam et destina-
 tam a Deo, et Gentes ab ea excludendas.

GRATIA, — δωρεάν, id est *donum gratuitum*, ideo-
 que gratia.

46. ET MAGNIFICENTIS DEUM. — Loquentes mag-
 nalia Dei, tum orbi toti, tum sibi praeter ceteris
 Gentilibus per Christum praestita, ideoque ex
 intimo cordis, devotionis et gratitudinis sensu.
 Vide dicta cap. ii, 11.

47. TUNC RESPONDIT PETRUS, — id est cepit di-
 cere. Nam respondere in Scriptura est ordiri ser-
 monem, etiamsi nulla praecesserit interrogatio,
 uti hic nulla praecessit.

NUMQUID AQVAM QUIS PROHIBERE POTEST? — Con-
 tradicit Petrus prohibentibus Iudaeis, ait S. Chry-
 sostomus, q. d. Vos, o Iudaei Christiani, putatis
 ad solos Iudaeos pertinere Christum Christianique
 baptismum, ideoque vultis prohibere Gentes ne
 eo abluantur; ad non potuistis prohibere Spiritum
 Sanctum quominus illaberetur in eas: ergo nec
 potestis prohibere quominus ejus baptismo bap-
 tizentur, baptismus enim est Sacramentum Spi-
 ritus Sancti. Unde S. Augustinus, hom. 23 inter 30:
 «Ipsa, ait, attestatio rei magis quasi accla-
 matum est (a Spiritu Sancto et Christo) ad Pe-
 trum: Quid de aqua dubitas? jam ego hic sum.»
 Hinc secundo per metathesin vocis «aquam, » ita
 plane vertit Pagninus et Tigurina, *num quis pro-
 hibere potest quominus aqua baptizentur*, etc., ut
 scilicet per hoc Sacramentum initiuntur Christia-
 nismo fiantque cives Ecclesiae?

SICUT ET NOS, — visibiliter per linguas igneas,
 accipiendo donum linguarum.

48. MISSI EOS BAPTIZARI, — a suis comitibus: Ver. 48.
 Apostolorum enim erat evangelizare, minorum
 sacerdotum baptizare, ut docet Paulus, I *Corinth.*
 1, 17. Sic Christus per se predicabat; per Apo-
 stolos baptizabat, Luc. iv, 18, et Joann. iv, 2.

IN NOMINE DOMINI JESU, — puta baptismus Christi.
 Vide dicta cap. ii, 38. Cornelium hunc post
 Zachaeum creatum esse a S. Petro Episcopo
 Caesareaensi, testatur *Martyrologium Romanum*,
 2 februarii, et Clemens, lib. VII *Constit.*, cap. XLVI.
 Ad haec Cornelii domum conversam esse in eccle-
 siam, eamque adhaec existisse tempore S. Hiero-

nymi, docet ipse, epist. 27, ubi describens navigationem et iter S. Pauli ait, ipsam Caesaream invasisse domum Cornelii jam Christi factum ecclesiam. Porro Sanctorum catalogo adscriptus est Cornelius 2 februarii, ubi sic habet Martyrologia Romanum: «Caesaree in Palaestina S. Cornelii Centurionis, quem B. Petrus Apostolus baptizavit, et apud praefatam urbem Episcopali honore sublimavit.» Vita hujus S. Cornelii exstat apud Saritum ex Metaphraste, 13 septembris, sed in qua quaedam apocrypha contineri censet noster Lorinus, et tale quid redolent.

In Cornelius primus ex Gentibus sit conversus?

Respondeo negat. Probatur. Primum.

Queres hic primo, an Petrus et Apostoli usque ad Cornelii vocationem ignorarint Gentes vocandas esse ad Christum eisque predicandum esse Evangelium? an Cornelius omnino omnino Gentium primus sit conversus et baptizatus? Affirmant nonnulli, quia id videtur visio et narratio hujus capituli significare. Verum contrarium multi moderni viri docti sustinent, idque videtur verius. Primo, quia Christus ascensus in caelum diserte dixerat et jussurat Apostolis, ut evangelizarent Gentibus: «Euntes, ait, in mundum universum, praedicate Evangelium omni creature,» id est omni homini, » *Matth. xxviii. Et*: «Eritis mihi testes in Judaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae,» *Act. i.*

Secundo, quia Apostoli viderant Gentiles deduci ad Christum, ab eoque suscepti, *Joan. xii. 20*; rursus, ab eo sanari filiam Chananæ, utique Gentilis, *Matth. xv. 22*. Ad hæc audierant primitus tres Magos ex Oriente a Deo, duce stella, vocatos ad praesepe Christi: hi autem erant primitus Gentium. Insuper viderant curatum a Christo servum Centurionis Romani, *Matth. viii. 5*, quem Lucius Dexter in *Chronico* scribit origine fuisse Hispanum, et Hispanis predicasse Christum. Sic enim ait: «C. Cornelius centurio Capharnaumensis, dominus servi quem Dominus sanavit, pater etiam C. Oppii centurionis, erat Hispanus: mire floret in Hispania.» Et de ejus filio: «C. Oppius, inquit, Centurio Hispanus, credidit Christo morienti in cruce. Ex Gentilibus hic primus a Christi morte creditus, qui fuit civis Romanus, baptizatusque a S. Barnaba factus est tertius Mediolanensis Episcopus. Vir quidem Apostolicus, qui Christi mortem et eclipsin admirabilem primum omnium Hispanis genti suae, cum audientium stupore refert.»

Tertio, quia ad hoc Apostoli in Pentecoste receperant Spiritum Sanctum in linguis igneis, ut iis irent predicatum gentibus omnibus totius orbis. Hoc est enim quod ex Joelo citat et proficitur ibid., vers. 17 et 21, S. Petrus: «Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, etc. Et erit: Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.» Unde et verisimile est, in Pentecoste, inter tot nationes tot linguarum et regionum quot recensentur *Act. ii*, fuisse aliquos Gen-

tilis inimicos, qui ad concionem S. Petri cum Judæis et Proselytis conversi sint ad Christum, æque ac in altera concione S. Petri, in qua ipse quinque hominum millia convertit, *Act. iv. 4*, probabile est nonnullos ex eis fuisse Gentiles. Rursus Eunuchus Candacee regine Æthiopum conversus a Philippo, cap. viii, a multis putatur fuisse Gentilis, utpote Æthiops et Æthiopum princeps. Hoc facit, quod Saulus jam conversus «loquebatur quoque Gentibus et disputabat cum Græcis,» uti audivimus cap. ix, 29. Et cap. xi, 2, dicuntur fideles ex circumcisione, id est circumcisi et Judæi, murmurasse contra Petrum, quod ad Cornelium Gentilem divertisset: quo satis significat fuisse alios fideles ex præcepto, id est incircumcisos et Gentiles, qui factum Petri laudarent, et Cornelio, utpote Gentili et suæ gentis ac sortis, applauserunt. Eodem cap. vers. 20, dicuntur fideles ex Cyrenæa evangelizasse Græcis, id est Gentilibus.

Quarto, quia idem Lucius Dexter asserit Apostolos inter se divisisse orbis provincias ad iis evangelizandum, anno Christi 34, paulo post ejus ascensum in caelum, nimirum die ultima junii, 36 diebus post Pentecosten et receptum Spiritum Sanctum, et Jacobum anno Christi 37, qui fuit annus tertius a morte, resurrectione et ascensione Christi, profectum esse in Hispaniam ibique evangelizasse: esto enim eo tempore ibidem multi fuerint Judæi, ut idem asserit, quis tamen neget eum Gentibus quoque, quæ longe plures erant, predicasse?

Dices: Quomodo ergo vulgo asseritur quod, per conversionem Cornelii, primo Gentibus apertum fuerit ostium Evangelii et Ecclesie? Respondeo id accipiendum et limitandum esse ad publicam, scilicet et ex professo apud Gentes Evangelii predicationem, quam Petrus, visione caelesti accepta, jussus est publice Judeo-Christianis denuntiare, ne ipsi Apostolis ad Gentes Italis obsisterent et Gentes ab Ecclesia repellent. Docet id diserte hoc loco S. Chrysostomus, scilicet S. Petrum secreto scivisse se et Apostolos debere predicare Gentibus: sed id non fecisse, ne Judæos offenderet, donec visione caelesti admonitus, hanc esse Dei voluntatem Judæis persuasit, præsertim cum ipsi viderunt visibilem Spiritum Sancti descensum in Cornelium et domesticos ejus.

Ita et L. Dexter in *Chronico*, anno Christi 40, qui fuit sextus ab ascensu Christi in caelum: «Cornelius, ait, Centurio Halicensis, Petrus predicante, repletur Spiritu Sancto, Hierosolymisque denuntiata solemniter Gentium ad fidem Christi conversione, Cornelius baptizatus floret.» Idem fuse docet Gaspar Sanchez, in *Appendice* ad *Acta Apost.*, sive tractatu 1 de *Predic. S. Jacobi in Hispania*, cap. ix. Porro hic Flavius L. Dexter fuit prefectus pratorio, qui *Chronicon* hoc dicitur S. Hieronymo, uti ipse refert lib. *De Script. Eccl.*; sed eo morte prærepto, dicitur illud S. Paulino

Fabrizia præfatio de Gentibus conversis ad Christum.

Vicissim S. Hieronymus Dextro hæc inscripsit librum *De Script. Eccl.*, in quo eundem ponit et dilandat. *Chronicon* hoc Dextri nuper Fuldie reperitum citat et laudat noster Gaspar Sanchez, lib. II de *Profect. S. Jacobi in Hispan.*, cap. ii, et Christophorus a Castro, *Hist. Desiparæ*, cap. xviii. Vide diata in fine Chronotaxis.

Quo anno Christi Centurio Cornelius?

Queres secundo, quo anno a morte et ascensu Christi conversus sit Cornelius, et apertum publice Gentibus Evangelium? Respondeo id defini non posse. Variant enim Chronologi. Primo enim *Chronicon Alexandrianum*, et Gaspar Sanchez, tract. 1 de *Profect. S. Jacobi in Hispan.*, cap. x, censent Cornelium conversum anno Christi 36, qui fuit a morte ejus secundus. Secundo, Adrichomius, in *Chronolog.*, censet eum conversum anno Christi 38, qui fuit a morte ejus quartus. Tertio, alii moderniores censent anno Christi 39, qui fuit a morte ejus quintus. Quarto, L. Dexter, in *Chronico*, scribit Cornelium conversum anno Christi 40, qui fuit a morte ejus sextus: anno vero Christi 44, Apostolos ivisse in suas provincias: anno denique Christi 42, S. Jacobum ab Herode occisum. Quinto, Baronius et noster Gordonus, in *Chronol.*, censent Cornelium conversum anno Christi 42, qui fuit a morte Christi septimus, et Caii Caligulae Imperatoris secundus, quo et S. Mattheus scripsit Evangelium.

Quo anno Christi?

Verisimilium videtur Cornelium conversum sub anno Christi 37. Illo anno enim S. Petrus fundavit Ecclesiam Antiochenam, utpote aperto jam Gentibus publice ostio fidei et Ecclesie. Unde et in Vita hujus S. Cornelii habetur, quod ipse conversus profectus sit cum S. Petro Antiochiam. Licet enim *Chronicon Alexand.* tradat S. Petrum possuisse cathedram Antiochie anno 4 post mortem Christi, qui fuit annus a nativitate Christi 38 vel 39, idemque de anno Christi 39 censent Baronius omnesque ejus sequaces, et multi alii; tamen mox ostendam id factum esse anno 37. Quis autem credat S. Petrum in Antiochia, utpote urbe Gentili, possuisse cathedram, ante apertum Gentibus fidei ostium, quod factum est per conver-

sionem Cornelii. Aut quomodo Judæi ad æquis oculis et animis aspexissent, avelli nimirum a se caput Ecclesie irequæ ad Gentes, ac ad eas Ecclesie primatum et Pontificatum transferre? præsertim cum S. Clemens, lib. X *Recogn.*, tradat S. Petrum cathedram hanc Antiochie possuisse in domo Theophili, cui S. Lucas dedicat hæc *Acta*, cap. 1, 1, qui Gentilis fuit, non Judæus, ut patet ex nomine: Theophilus enim est nomen græcum, significans Dei amantem; et quia Theophilus hic magistratu Antiochie fungebatur, teste Eusebio. Eodem quoque anno Christi 37 videtur S. Jacobus profectus in Hispaniam, uti dicam cap. xii. Sic enim omnia optime coherent. Nam converso jam Cornelio a S. Petro, sine nota et contradictione Judæorum potuit S. Jacobus publice predicare Hispanis Gentibus, ac post quinque annos rediens Hierosolymam, anno Christi 43, vel ut volunt alii 44, occidi ab Herode: ita recentissimi quidam, sed magni judicii Chronologi. Illic et nonnulli censent sub eodem annum Christi 37 Apostolos profectos esse in suas provincias, utpote qui per Petrum cœlitus admonebantur ad predicandum Gentibus. Unde Cajetanus, *Act. ix. 32* et alii, scribit Apostolos per orbem fuisse divisos intra triennium, quo in Arabia fuit Paulus; hoc autem triennium cepit a mox conversione ejus, quæ facta est anno Christi 36, et terminatur anno Christi 39; licet Baronius, quem multi sequuntur, censet Apostolos per orbem esse dispersos post occisum ab Herode Jacobum, anno Christi 44, de quo plura *Act. xii. 1*. Itaque hæc sententia a posteriori valde confirmatur ex eo quod omnes consentiant S. Petrum Antiochie sedisse per annos septem, scilicet usque ad annum secundum Claudii, qui fuit Christi 44, quo sedem transtulit Romam. Computa enim hos septem annos retrorsum ab anno Christi 44, invenies primum eorum annum, quo sedere cepit Antiochie, incidere in annum Christi 37. Ergo eodem, vel certe precedente, puta 36, conversus est Cornelius. Hæc magis patebunt ex iis quæ dicam cap. xii, 4.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judeo-Christiani expostulant cum S. Petro, quod Cornelium Gentilem inducerit in Ecclesiam. Petrus narrando suam et Cornelii visionem, eis satisfacit. Secundo, vers. 20, narratur incrementum fidei, præsertim Antiochiæ: unde eo mittitur Barnabas, qui cum Saulo totum annum ibi evangelizans multos convertit: quæ circa eundem tempore discipuli cognominantur Christiani. Tertio, vers. 27, Agabus prædicit famem toti orbi instantem: quare fideles Antiochiæ faciunt collectam, quam fidelibus Hierosolymitis per Sostimum et Barnabam transmittunt.

1. Audierunt autem Apostoli, et fratres qui erant in Judæa, quoniam et gentes receperunt verbum Dei. 2. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant adversus